Kgl. bayerische Studienanstalt
in
Bayreuth.

Programm
am Schlusse des Jahres
1886/87.

De Ciceronis in epistolis ad Atticum sermone.

Von
Paul Meyer,
K. Studienlehrer.

I.

Bayreuth 1887.
Gedruckt bei Th. Burger.

Proximis annis docti inter se concertaverunt, ut quaestionibus, quae ad singulos Romanorum scriptores referrentur, quasi fundamenta iacerent, in quibus esset posita ipsa exaedificatio et grammaticae et lexicographiae Latinae. Id certamen etiam studia sermonis, quo Cicero in epistolis usus est, magno opere auxit multumque contulit ad id dicendi genus inquirendum, quod per longum temporis spatium neclectum iacebat. Atque de illa re omnium optime meruit Woelfflinus, qui et ipse fines cognitionis sermonis Latini brevi tempore mirum quantum proferret et alios ad eundem quo ipse flagraret studiorum ardorem excitaret atque erigeret inprimis commentatione illa in Phil. XXXIV 137 sqq. (1874) instituta, qua cum sermonem vulgarem universum, tum Ciceronis in epistolis genus dicendi luculentissime describeret moneretque nondum satis diligenter indagatas esse singulas et Ciceronis ipsius et aliorum, qui ad eum scripsissent epistolas. Deinde non defuerunt, qui etiam libros manu scriptos, quibus illae epistolae ad nostram aetatem manserunt, denuo studiosissime perscrutarentur invenirentque in multos errores eos, qui ante in eis studiis versati essent, incidisse. Exstiterunt denique alii, qui, quantum possent, pervestigarent, quando quaeque data esset epistola. Longum est omnes enumerare, qui in eis quas commemoravi quaestionibus navabant operam: satis sit legentium studia ad commentationem perspicuam ac dilucidam reicere a Carolo Schirmero conscriptam (Phil. XLV, 1. 1885), qua, quae inde ab anno 1829 usque ad annum 1885 ad epistolarum cognitionem augendam a doctis collata sunt, ita explanavit, ut, quorum animos ea

studia oblectant, brevi conspectu discere possint, quantum profecerint recentiores. Praeter libros illic perlustratos memorabiles sunt adnotationes quas nuperrime ad quosdam epistolarum ad Atticum locos A. Otto fecit in Mus. Rhen. phil. XLI, 3. 1886. Accedunt quaestiones Tullianae a Lehmanno institutae, quarum pars prima proximo anno foras exiit. Jam parant alii, audio, epistolas ad Ciceronem datas diligentius quam ante depingere: itaque tempus est ipsum quoque opus aggredi et in publicum prodire pervulgantem, quae in legendo adnotavi, ne tardius incedentem relinquant alii.

Ex eis, quae modo diximus, apparet doctorum opera atque industria rem iam eo perductam esse, ut nova epistolarum editio pristinis plane dissimilis futura sit et verbis ipsius scriptoris restitutis et apparatu quem appellant critico dispecto et epistolarum ordine composito. At nondum omnibus rebus quaestionem de epistolis profligatam atque ad exitum adductam esse hac disputatione comprobare mihi videor: nondum enim omnes opiniones perversae reiectae sunt, nondum Ciceronis in epistolis dicendi genus satis explanatum est. Nonnulla enim verba Ciceroniana esse etiamnunc putantur, quae omnino non Ciceronis, sed ab eo ex aliis scriptoribus in epistolas recepta sunt. Quod antequam demonstrare incipiam, paucis sermonem, quo Cicero in epistolis usus est, describere libet.

Ut non idem semper color est orationum, sed alius aliis temporibus, id quod nuperrime Thielmann (de serm. proprietatibus, quae leguntur ap. Cornif. et in primis Cic. libris. Dissert. Argent. 1879), Hellmuth (de serm. proprietatibus, quae in prioribus Cic. oratt. inveniuntur. Acta sem. phil. Erlang. I. p. 101—174. 1878), Landgraf (de Cic. elocutione in oratt. p. P. Quinct. et p. S. Rosc. Am. conspicua. Wuerzburg 1878) docuerunt: ita Cicero in epistolis vario scribendi genere usus est, sive ad homines litteras dabat, quorum magna erat in re publica gerenda auctoritas, qui cum eo non coniuncti erant familiaritate, sive ad eos, quos artissima vel cognationis vel amicitiae vincula cum eo consociabant. Non est igitur mirum, si in his epistolis magnam vocabulorum et

elocutionum copiam reperimus, quae ab elegantia Ciceronis, quam etiamnunc adaequare studemus, prorsus abhorrent. Lege eos locos, quibus Cicero ipse planis verbis dixit in epistolis se ea garrire, quae in buccam venirent (Att. I 12, 4. VI 1, 2. VII 10. XIV 7, 2), in epistolis se plebeio sermone agere, epistolas cotidianis verbis texere solere (epp. IX 21, 1): iam non dubitaveris, quin „sermo merus" etiam in epistolis insit. Itaque oritur quaestio, quanam re censeatur ille sermo quidque potissimum intersit inter sermonem cotidianum et inter orationis elegantiam. Quam ut profligemus, epistolae comparandae sunt cum operibus aliorum, qui quod ad vulgus descenderunt, vulgarem sermonem usurpaverunt, inprimis cum Plauti et Terenti fabulis, quae apud Romanos non minus pervulgatae erant quam apud nos Schilleri et Goethii principum poetarum fabulae. Atqui ex omnibus Ciceronis epistolis eae, quas ad Atticum dedit, si genus dicendi respexeris, universum quiddam per se efficiunt: scilicet illi, quo neminem habebat familiariorem, ad quem scriberet, animi penetralia recludebat neque quidquam celabat eum, neque si male, neque si bene cesserat. Etenim ipse dicit habere ne se quidem, quicum tam audacter communicaret quam cum illo (Att. XII 36, 1); requiescere se paullum, cum quasi secum cum Attico loqueretur (Att. VIII 14, 1). Quo fit, ut, cum singulari fortunae casu illae epistolae servatae sint, omnis Ciceronis vita, ut Horati verbis utar, pateat veluti descripta tabella votiva. Sed quod nostros animos summo gaudio perfundit, quod illius epistolae exstant, cum multa graviaque documenta eis, qui illorum temporum res indagant, afferant, id Ciceronis moribus describendis apud posteros summo erat detrimento; nam recentiores quidam eam hominis expresserunt morum imaginem, qua multum detraheretur de reverentia et verecundia illius patris patriae, qua pueri in scholis imbuti sumus. Eadem esse causa potissimum videtur, quod epistolae, quamquam legibus concessum est, ut pueris tradantur, quantum equidem memini, in nullo nostro gymnasio leguntur. Sed acerbius illi, opinor, iudicant, qui Ciceronis ingenium ac mores ex epistolis unis metiuntur. Nam

si Caesaris, ut exemplo utar, qui diversas rei publicae gerendae rationes sequebatur, exstarent epistolae, quibus ille eadem liberalitate atque ingenuitate ima pectoris recluderet, non dubito, quin multa essent, quae speciem, quam de illo animis informavimus perfectam, infringere atque imminuere possent. Quamquam ne Ciceronem quidem ipsum fugisse, quam mollis esset ad omnes res externas, intellegas ex Att. VIII 14, 2, quo loco Attico vituperanti, quod totiens sententiam mutaret, respondet *se cum illo tamquam secum loqui; quem autem esse tanta quidem de re, quin varie secum ipse disputaret?* Deinde affero Att. IX 1, 3: *audio bonis viris, qui et nunc et saepe antea magno praesidio rei publicae fuerunt, hanc cunctationem non probari multaque in me et severe in conviviis tempestivis quidem disputari.* Tum vide Att. XII 38, 3: *quod putas perviderі iam animi mei firmitatem graviusque quosdam scribis de me loqui quam aut te scribere aut Brutum: si, qui me fractum esse animo et debilitatum putant, sciant, quid litterarum et cuius generis conficiam, credo, si modo homines sint, existiment me, sive ita levatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse, sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere.* Magno denique documento, quali Cicero ingenio fuerit, est epistola ad Att. IX 10. Quae omnia si contemplatus eris, concedes in Cicerone fuisse naturam quandam poeticam, quae rerum vi animique affectionibus saepe nimis permoveretur evolaretque altius ita, ut ei animo a terris rebusque humanis sevocato interdum res non quales reapse erant, sed tamquam speculo quodam obicerentur. Quodsi tanta ingenuitate quae animum pellerent atque moverent aperuit, quis est qui vitio vertat?

Sed redeat illuc unde aberravit oratio; restat, ut paucis perlustrem eorum libros, qui de sermone quo Cicero in epistolis usus est, quoad ad epistolas Attico missas pertinent, scripserunt. Ac primum quidem commemoro editiones Freyi, Hofmanni, Suepfli, quae quanta sint praestantia inde elucet, quod iterum ac saepius eis qui epistolas selectas adnotationibus illustraverunt morte defunctis novis editionibus opus

erat. Bootius quoque bene meruit de epistolis voluminibus duobus Ciceronis epistolarum ad Att. recensitarum et adnotationibus illustratarum Amstelodami a. 1865/66 editis. Deinde de eo quo Cic. in epp. usus est sermone Stinnerus tribus programmatis, quae postea in unum librum confudit, disseruit (Oppeln 1879). Cuius commentationem etsi iudex candidus non infitiabitur summa diligentia conscriptam esse, tamen posteriorum quaestionibus multis rebus relictam et superatam esse Landgraf demonstravit (Bemerkungen zum sermo cotidianus in den Briefen Cic. u. an Cic., Bl. f. d. B. G. W. XVI, p. 274—80; 317—31), qui ipse illic, postquam in conspectu posuit, quantae in sermone cotidiano Romanorum indagando factae progressiones essent, eis qui post se in Ciceronis epistolis describendis versarentur complures et gravissimas adnotationes fecit. Sed cum, quod equidem sciam, errores quidam, quibus, ut sumus homines, ductus est, nondum reiecti sint, priusquam ad ipsum propositum transeam, emendabo.

Ac primum quidem Landgraf (p. 318) falso in or. p. Marc. 14: ***ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens et sciens tamquam ad interitum ruerem voluntarium*** vocabulum ***tamquam*** ad ***prudens et sciens*** revocat, cum dicit elocutionem vulgarem hoc vocabulo addito quasi leniri, cum Cicero in epistolis liberius loquens illud non adiecerit: immo ad insequentem elocutionem minus usitatam pertinet. Nam compositio verborum ***sciens prudensque*** et apud priscos scriptores invenitur, et senescentibus Romanorum litteris etiam quinto p. Chr. saeculo apud Ennodium, unde intellegas per totam Latinitatem in usu fuisse. Cf. inc. poet. trag. fragm. Ribb., p. 256: ***prudens et sciens ad pestem ante oculos positam;*** Ter. Eun. 72: ***prudens sciens vivos vidensque pereo;*** Heaut. 633: ***te inscientem ac imprudentem dicere ac facere omnia;*** Hier. epp. 54, 1: ***sciens et videns;*** adv. Ruf. II 32: ***sciens et prudens;*** Ennod. epp. I 19 (p. 30, 22 Hartel): ***caelestis mandati sententiam sciens prudensque neclegere.*** Deinde Landgraf (p. 324) dicit Att. XII 38, 2: respondere ***sic*** antecedenti coniunctioni ***quoniam;*** at illo loco ***sic*** referendum est ad enunciatum condi-

cionale, quod insequitur, et vertendum: dann wirst Du schreiben, wenn Du Zeit hast. Cf. Att. IX 2: *videbare non dubitare, quin cederem ita, si et Gnaeus bene comitatus conscendisset;* Ant. in epp. ad Att. XIV 13 A, 2: *erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses;* Hyg. fab. 14: *is cum descendebat et ostendebat, ita rumor sublatus est.* Neque magis in epp. XIII 70 *sic*, quod Wesenberg omnino omisit, dirigendum est ad enunciatum causale, sed ad consecutivum; cf. Liv. 22, 42, 10: *forte ita evenit, ut.* Tum Landgr. docet (p. 323) usum illum comicorum pronomini possessivo per abundantiam dativum pronominis personalis addendi, cuius rei exempla collegit Holtze, synt. script. prisc. Lat. I, 300. 351. 364, velut Ter. Ad. 958: *suo sibi gladio hunc iugulo*, etiam in Ciceronis epistolis inveniri. At multum interesse, ut exemplum afferam, inter Att. VII 11, 1: *sibi habeat suam fortunam* et illud Terentianum primo aspectu nemo non videt: qui tandem aliter Cicero scriberet? Et *suus* et *sibi* illo loco suam vim tuentur. Saepius pari modo pronomina congesta sunt: Att. XII 28, 2: *mea mihi conscientia pluris est quam omnium sermo;* XIV 8, 2: *nauseolam tibi tuam causam otii dedisse facile patiebar;* Cael. in epp. ad Att. X 9 A, 2: *si spes tuae reliquae tibi carae sunt.* Etiam Ennodius usus est hac compositione, velut epp. II 12: *tibi habe facetias tuas.* Quod autem Landgr. dicit in ceteris scriptis Ciceronem hanc compositionem vitasse, certis eum causis ductum videmus esse; nam p. Flacco 104, p. Sulla 26, Cato M. 58, quibus locis anaphora utitur, praeterquam quod pronomen possessivum nihil desideratur, orationis numerus prorsus deleretur. Lael. 18 autem adiectiva *invidiosum et obscurum* substantivo addita pronominis locum obtinent: *quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum,* so mögen sie denn den unpopulären und unklaren Namen „Weise" für sich behalten. Sed Phil. II 28, 69, ubi illa causa defuit, scripsit: *illam suas res sibi habere iussit.*

Suprema illa lex, ut locis corruptis inprimis proficiscamur a sermone scriptoris, cum a recentioribus parum observetur, editiones nostrae affluunt coniecturis, quas si ad obrussam

exegeris, plurimas vanas et inutiles resecandas esse cognosces. Quod sic se habere maxime in Catulli Veronensis libro a Baehrensio edito, in quem multa congesta sunt, quae non desideraveris, nuperrime docuit Haas, Bl. f. d. B. G. W. XXII 562; repetam luculentissimum exemplum e Cat. carm. 31, 14, ubi lectio tradita *gaudete vos quoque Lydiae lacus undae* rectam viam monstrat, cum alii aliter coniecerint, velut *Libuae, ludiae, limpidae, lucidae, luteae, incitae.* Mea quidem sententia res plana et aperta est: novimus media aetate a librariis syllabam *quid* ita scriptam esse, ut litterae *q* et *d* colligarentur parti inferiori vel superiori liturae signo addito; quodsi in vocabulo *„liquidae“* syllaba *„quid“* per notam scripta erat, fieri potuit, ut homo imprudens alteram litteram deletam esse opinatus legeret *„lidae“*; quid igitur mirum, si, cum hoc explicare non posset, *Lydiae* poneret pro priore *liquidae,* quod aptissimum esse nemo negabit, qui vel mediocriter in poetis Latinis versatus est; e Catullo ipso affero c. 64, 2: *dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas.* Itaque restituo versum *„gaudete vos quoque liquidae lacus undae“* ihr klaren Wogen, quod epitheton verissime appositum est, cum lacus Benacus (Gardasee), ut docent geographi, undis liquidissimis ceteris praestet. Dissolvi autem in versu Hipponacteo longam syllabam in breves non erat inusitatum; cf. Cat. 22, 19: *quem non in aliqua re videre Suffenum;* 37, 5: *confutuere et putare ceteros hircos;* 69,3 *vidistis ipso rapere de rogo cenam.*

Eadem adhibenda ratio est ad alios scriptores, ergo etiam ad Ciceronem: itaque errasse mihi videntur Orelli, Wesenberg, Fr. Schmidt, cum lacunam Att. XV 8, 2 explere conarentur: *Graeceius ad me scripsit C. Cassium sibi scripsisse homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. Id quidem mihi *** videbatur,* et Orelli quidem negatione *haud,* quae negatio a Cicerone non ita saepe neque in orationibus usurpatur nisi cum *scio* aut *dubito* coniuncta, in epp. ad Att. semel etiam cum verbo *amandi,* XIV 12, 2, Wesenbergius magis sensum quam rationem secutus verbis *vix fore;* quod autem Schmidtius, Zur Kritik und Erklärung der Briefe Cic. an Att., Nürnberger Gymnasialprogr. 1879, p. 37, verbum mentiendi

adici vult, id vocabulum, quod idem valet quod fallere scientem, acerbius mihi videtur neque probabile est facile, ut ait Schmidtius, neclegi potuisse. Mihi vero non dubium est, quin illic legendum sit: *id quidem mi(hi) mirum videbatur*, *θαυμαστὸν τοῦτό γε*, quemadmodum Graeci dicunt, quod et ratione palaeographica et sermone Latino optime comprobatur. Nam si quis vel paullulum versatus est in epistolis, memoria tenet, quotiens Cicero illud adiectivum cum aliis, *admirabilis*, *mirabilis*, *mirandus*, *mirificus*, *incredibilis* assumpserit, ut etiam nos in sermone cotidiano res nimis augere amamus. Cf. Att. XV 21,1: *hoc vero mirum;* XVI 1, 3: *Dymaeos agro pulsos mare infestum habere nihil mirum;* XVI 8, 1: *veteranos—perduxit ad suam sententiam; nec mirum;* Liv. Andron. frgm. trag. p. 2 R.: *mirum videtur, quod sit factum iam diu;* Plaut. Poen. 905: *mira memoras.*

Att. XII 47, 2 scriptum legimus: *sed et magna res est et difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede; etsi de cupiditate nemini concedam, ceteris rebus inferiores sumus.* Wesenberg post *nemini* signum asterisci ponit; sed nihil requiras, si post verba *de cupiditate* interpunxeris, cum idem valeant quod sententia *quod attinet ad*, quae loquendi consuetudo maxime in epistolis vigebat; verte: **es ist ein großes Unterfangen und schwierig, mit einem Kaufliebhaber, einem Reichen, einem Erbberechtigten in Konkurrenz zu treten; freilich wenn es auf Liebhaberei ankommt, so nehme ich es mit jedem auf; in den beiden andern Stücken ziehe ich den Kürzeren.**

Hoc prooemio praemisso iam transeo ad propositum: ac prius quidem singula et vocabula et sententias conferam ab elegantiore scribendi genere alienas, tum de quibusdam syntaxis partibus dicam a recentioribus grammaticis aut minus copiose tractatis aut prorsus omissis.

I. De verborum copia et delectu.

1. Substantiva.

Letum. Si lexica, quorum recentissimum est a Georgesio abhinc paucos annos septimum editum, consulueris, facile adducaris vocabulum leti a Cicerone pro substantivo mortis assumptum etiam in eleganti oratione in usu fuisse, quod Krebs Allgayer in Antibarbaro non prorsus negant. At id ipsum, quod substantivum a Caes., Hirt., Sall., Suet., aliis devitatum est, rem in dubium vocaverit. Quodsi eos locos, quibus Cicero vocabulum scripsit, diligentius contemplati erimus, non ipsius Ciceronis, sed aliorum esse verba cognoscemus: de legg. II 9, 22: *sos leto datos divos habento*, ab antiquis legibus ad verbum translatum esse apparet; de div. I 26, 56 Cicero ipse plane dicit a L. Caelio Antipatre scriptore a. a. Chr. 140 nato se mutuatum esse, quae narraret de Tiberio, qui fratri in somnis visus esset diceretque *eodem quo ipse interisset leto esse pereundum.* Restat Att. X 10, 5: *vide, quam turpi leto pereamus*, ubi nemo adhuc animadvertit verba *quam turpi leto pereamus* alteram versus hexametri partem a Cicerone ex incerto poeta in epistolas recepta esse. Sequitur, ut letum, cum esset priscorum scriptorum et poetarum, a Cicerone in prosa oratione vitatum sit; at posteriores, inprimis historici substantivum assumpserunt, velut Liv. 1, 51, 9: *novo genere leti;* 2, 40, 10: *leto perire;* 31, 18, 7: *per omnes vias leti interficere;* 45, 26, 1: *letum oppetere.* Quamquam eum scriptorem non raro ex antiquis fontibus ad verbum hausisse neminem fugit. Elocutio Corn. Nep. regg. 3: *pari leto affectus est* ap. Cic. nobis occurrit in epp. IV 12, 2 mutata forma: *acerbissima morte est affectus;* Curt. 8, 9, 33: *dies leti;* Plin. N. H. 24, 157: *insanabili leto perire.* Quid, quod ecclesiastici, velut Ennod., letum paene saepius quam mortem scripserunt. Poetae autem omnibus aetatibus illud vocabulum praetulerunt; enumero exempla minus pervulgata:

Cic. ex Aeschyli Prom. vincto in Tusc. II 10, 23: *sed longe a leto numine aspellor Jovis;* Cic. ex Consol. Crantoris ibid. I 48, 115: *Euthynous potitur fatorum numine leto;* Attius v. 491, frgm. trag. R. p. 200: *socium mittis leto;* at Plaut. Capt. 692: *atque ob sutelas tuas te morti misero;* Attius v. 117, ibid. p. 151: *nosque ut sevorsum dividos leto offeres;* v. 519, ibid. p. 203: *in leto coniugis;* v. 421, p. 190: *pernici orbificor liberorum leto;* Pacuv. v. 148, ibid. p. 94: *qui te-leto dabit;* Ennius v. 289, p. 57: *liberi leto dati;* id. v. 121, p. 30: *ego meae cum vitae parcam, letum inimico deprecer;* Ann. p. 96, 270 Baehrens: *occumbunt multi letum;* incert. poeta p. 400, 141 B.: *agmina campis iacuerunt data leto.*

Promo statim, quoniam mentio incidit in ea, quae ab aliis repetita videntur esse, alia exempla, quae etiam nostra aetate immerito Ciceroni attribuuntur; velut apud recentiores, Draeger (hist. Synt. I², p. 559), Koehler (de auct. bell. Afr. et bell. Hisp. elocutione, act. sem. philol. Erlang. p. 425), Schmalz (Handb. d. klass. Altertumswissenschaft, herausg. v. Iw. Mueller, II p. 280) scriptum legimus Ciceronem praeter consuetudinem bis verbum egendi cum genetivo coniunxisse. Qui cum in ceteris scriptis ubique, in epistolis omnibus fere locis verbum cum ablativo coniunxerit, mirum videtur, cur duobus modo locis genetivum maluerit, eo magis, quod in eadem locutione *consilio egere* diversos casus usurpavit: Att. III 15, 4: *nunquam esses passus me egere consilio;* IV 1, 8: *te oro, ut me tuo consilio egere non sinas;* XI 16, 5: *in quo tuo consilio egeo;* XIV 17 A, 2: *nec cuiusquam egere consilio;* XV 1, 5: *cum ipse egeam consilio;* 9, 2: *quamquam ante egebam consilio;* contra genetivus in eadem locutione legitur Att. VII 22, 2: *egeo consilii*, cum etiam in aliis locutionibus abl. redeat: Att. IV 16, 2: *otii, quo ego maxime egeo;* VI 1, 12: *alter frenis eget, alter calcaribus;* IX 4, 1: *egeo argumento epistolarum;* 10, 10: *consciis egeo aliis;* XI 3, 3: *egeo omnibus rebus;* XII 19, 1: *nihil egeo vectigalibus;* XVI 7, 3: *defensione eget meum factum.* Itaque verba „*egeo consilii*“, Att. VII 22, 2 ipsa per se posita, reliquias fabulae intellego; quamobrem qui posthac epistolas edituri sunt, eis scribendum esse puto

„*egeo consili*“, cum verba extremum versum senarium concludant. Eadem compositio invenitur Plaut. Bacch. 651: *nequius nihil est quam egens consili servos*. Poetas autem genetivum *consili* non raro in extremo versu posuisse intellegas his exemplis: *inopiosas consili*, Plaut. Poen. 129; *compotesque consili*, Enn. 352 fragm. trag. p. 67 R.; *impos consili*, Attius v. 287, ibid. p. 173; *quid capias consili*, idem v. 628, ibid. p. 217; *dum est potestas consili*, ex inc. fab. v. 29, ibid. p. 238. — Cum locutione *egeo consili* comparaverim exclamationem *quo me vertam, nescio*, quam Cicero saepe usurpavit, etiam in orationibus p. Clu. 4, p. Lig. 1; alia exempla vide ap. Merguetum, Lexikon zu den Reden des Cicero mit Angabe sämtlicher Stellen. Ex epistolis ad Att. huc spectant X 12[a], 1: *quo me nunc vertam?* XIII 13, 2: *nunc autem ἀπορῶ, quo me vertam*, ex rhetor. libris Gracch. ap. Cic. de orat. III 56, 214: *quo me miser conferam, quo vertam?* Verba cotidiana fuisse id demonstrat, quod apud comicos inveniuntur, velut Ter. Heaut. 946: *ut, quo se vortat, nesciat*; Plaut. Curc. 69: *quo me vortam, nescio*. Quin etiam quinto p. Ch. saeculo locutio vigebat ap. Ennod. epp. II 1: *quo me vertam?* IX 27: *hic quo me vertam, nescio;* panegyr. Theod. p. 275, 18 H.; dictio XVIII, p. 476, 22 H.: *quo me vertam, nescio*, quibus locis et ap. Hartelium et ap. Vogelium, qui Ennodi opera nuperrime ediderunt, brevis nota requiritur. — Iterum apud Ciceronem verbum egendi cum genetivo coniunctum est epp. IX 3, 2: *quod gravitas morbi facit, ut medicinae egeamus*, quae verba versum hexametrum explere nemo vidit; itaque etiam illa reliquiis poetae adscribenda esse contendo. Scilicet Cicero in medias epistolas, quas ad Atticum vel ad alios, qui multum versati erant in litteris et Latinis et Graecis, dedit, verba scriptorum, inprimis poetarum ita includere solebat, ut nomina, quippe quae eis, ad quos litteras daret, nota essent, omitteret eo magis, quod apud veteres in epistolis quam maxima brevitas requirebatur, ut in exiguam chartam quam plurima implerentur. Quo fit, ut passim in eiusmodi locutiones incurramus, quae vel certis modis numerisque vel alieno dicendi genere poetarum esse cognoscamus. Velut

Att. XIII 38, 1: *hoc quidquam pote impurius?* comoediam redolere mihi videtur; cf. Plaut. Most. 246: *quid illa pote peius quicquam mulier memorarier?* Asin. 542: *te quidem edepol nihil est impudentius.* Compositionis verborum *pote et quisquam* exemplum habemus in Enn. Ann. frgm. poet. Rom. B. p. 288, 3: *sed nec pote quisquam undique nitendo corpus discerpere ferro.* De forma *pote* vulgari aptissime disseruit Rebling, Versuch einer Charakteristik d. röm. Umgangssprache, 2. A., Kiel 1882, p. 9, qui ibi monet versum Ovidianum ex arte amat. I 475: *quid magis est saxo durum, quid mollius unda?* in inscr. quadam parietina Pompeiis (C. I. L. IV 1895) mutatum esse in verba: *quid pote tam durum saxso, quid mollius unda?* — Cum Cic. Att. I 16, 1: *dii immortales! quas ego pugnas et quantas strages edidi,* comparaverim Plaut. Pseud. 503: *dabo aliam pugnam claram et commemorabilem;* Capt. 585: *profecto iam aliquid pugnae edidit;* Poen. 923: *dii immortales, quanta clades, quanta advenit calamitas.* Ceterum iam Ribbeck frgm. com. Rom. p. 122 adnotavit verba *quas ego pugnas, quantas strages edidi* fabularum scriptoris incerti esse, qui servum vel parasitum in comoedia gloriantem et tragicum colorem affectantem illa praedicantem faceret. Equidem malim verba restituere ita, ut versum senarium concludant; scribendum igitur censeo:

Di immortales, ...
„*Quantas ego pugnas, quantas strages edidi!*"

Conf. ad hunc locum Plaut. Capt. 902 sqq.

Att. XIII 28, 2 verba *iurato mihi* pediculis anserinis, ut aiunt, includenda sunt, cum poetarum fuisse appareat e Plaut. Asin. 23: *iurato mihi vides necesse esse eloqui;* Amph. 437: *iniurato scio plus credet mihi quam iurato tibi.*

Hoc loco forsitan dixerit quispiam etiam *vereri* Ciceronem priscum sermonem imitantem cum genetivo coniunxisse Att. VIII 4, 1: *ne tui quidem testimonii, quod ei saepe apud me dederas, veritus;* sed hoc loco frustra cum formam metricam quaeras, Ciceronis ipsius esse verba non negaveris. Etsi non me fugit Afranium, Attam, Pacuvium, Attium saepe illam compositionem usurpavisse, tamen mirum mihi videtur,

cur unus Cicero, quod ab aliis repudiatum erat, uno loco repetierit, quam dubitationem non tollit Draeger, qui explicat (hist. Synt. I p. 493) vereri per similitudinem quandam verbi pudendi cum genetivo coniunctum esse. Equidem suspicor illo loco post enunciatum relativum a librario accusativum *„auctoritatem“*, quod ei, dum illud scriberet, exciderat, omissum esse. Ad comprobandam meam sententiam affero ex oratt. Cat. I 7, 17: *huius, tu neque auctoritatem verebere?*

Sed postquam longius aberravit oratio, redeat illuc, unde deflexit, ad substantiva, quae sermonis vulgaris notam prae se ferunt:

Nassa, Ital. nassa. Vocabulo, quod vim habet piscatorii vasi cuiusdam, quo cum intravit piscis, non potest exire (cf. Festus p. 169 M.) Plaut. utitur per translationem Mil. Gl. 581: *nunquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam;* quem Cicero secutus est, cum scripsit Att. XV 20, 2: *ex hac nassa exire constitui non ad fugam, sed ad spem mortis melioris.* Quod quid sibi velit, intellegas ex Lucil. Sat. XXVIII frgm. poet. B. p. 221, 569: *ex hac aerumna is exeat.* Cotidianum illud Plaut. et Cic. fuisse etiam inde efficitur, quod etiamnunc in lingua Gallica locutio viget *être dans la nasse,* **in der Klemme stecken.**

Tricae, tricari; Gallice: tricher, tricherie, tricheur. In numero vocabulorum, quae inprimis comoediae erant, referendum est *tricae*, quod Non. 8, 15 idem valere dicit quod impedimenta et implicationes, cum *tricari, trico, tricosus.* Sed ne actum agere videar, satis habeo ad Georgesium reiecisse, qui in lexico explanat et quae in singulis vocabulis vis insit, et apud quos scriptores in usu fuerint; tamen ea exempla affero, quae ab illo non ita enumerantur, ut commode locos evolvere possis. *Judicia lites, turbas tricas,* Sext. Turpilius 45 fragm. com. p. 90 R.; *nil mi opus litibus neque tricis,* Plaut. Pers. IV 3, 62; *quomodo illa fert publicam cladem, quomodo domesticas tricas!* Att. X 8, 9 (ap. Georg. falso interpunctum est); *ut plus biennium in his tricis moretur,* Cael. in epp. VIII 5, 2; *Publius tecum tricatus est,* Att. XIV 19, 4 (ap. Georg. falso 9, 4); *de Dionysio tuo adhuc nihil extrico,* Vatin. in epp.

V 10ᵃ, 1; Att. XV 20, 4 in cod. Med. *excitata,* secundum eum Wesenbergius hanc lectionem assumpsit, sed Orellius *extricata* secundum Bosium.

Suspiritus. Substantivum, quod ap. Plaut. et Apul. maxime in usu erat, uno loco ap. Cic. legitur Att. I 18, 3: *quem nemo praeter nos philosophos aspicere sine suspiritu posset.*

Incommoditas, Gall. incommodité, It. incomodità. Idem significat quod incommodum saepius ap. Plaut. et Ter., semel ap. Cic. Att. I 17, 7: *in ista incommoditate alienati illius animi et offensi illud inest tamen commodi;* semel ap. Liv. 10, 11, 3: *incommoditate temporis.* Ex eis quae dixi intellexeris non plane rectum esse, quod Krebs in Antib. s. v. *incommodatio* exposuit non cunctanter *incommoditas* assumi posse pro *incommodum, molestia, difficultas.* Ciceronianum „*incommoda valetudo*“ (velut Att. V 8, 1) posterioribus temporibus eodem illo vocabulo effictum esse vide ap. Woelffl., über die Latinität des Afrikaners Cassius Felix, p. 392.

Colluvies, It. colluvie. Cicero vocabulum in *io* exiens usurpavit (har. resp. 55, Sest. 15, Vat. 23), quod Livius quoque, Curt., Suet. praetulerunt; itaque positum sit substantivum in *ies* desinens, quo Atticus usus est in epp. ad Att. IX 10, 7: *in ea quae perspicitur futura colluvie regnare,* non fuisse probatum. Quod demonstratur et eo, quod Taciti demum et Justini temporibus in usu erat, et comparatis substantivis *eluviei* et *eluvionis,* e quibus Cicero hoc usurpavit, illud praeter unum locum, quo ipsa allitteratio „*ad labem atque eluviem*“ priscum et vulgarem sermonem significare mihi videtur (de dom. 53), repudiavit. Etiam substantivum *illuviei,* quod saepe ap. Lucil., Pacuv., Plaut., Tac., Curt., Just. legimus, Cicero respuit. Jam vero monuerim Ennodium, qui aliis locis verbalibus in *io* exeuntibus indulgeret, tamen *eluvies* p. 36, 9 H. (Vogel contra codicum auctoritatem *illuvies*) et *illuvies* p. 365, 14 H. scripsisse, sed *eluvio* et *illuvio* vitavisse. Accedit, quod substantivum *colluvie* in Italica lingua etiamnunc viget. Quae omnia si respexeris, iam non dubites, quin formae in *ies* desinentes minus elegantes fuerint.

Offensa, Gall. offense, It. offesa. Substantivum refero in numero vocabulorum, quibus Romani nisi in sermone non utebantur; bis in epp. legitur: Att. IX 2ª, 2: *quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim,* quae verba Attici esse, ad quae Cicero responderit, adhuc neclectum est; Cael. in epp. ad Att. X 9 A, 2 (exstat etiam in epp. VIII 16, 2): *quod offensae fuerit in ista cunctatione.* Positum sit igitur contra Georgesium (Wörterb. s. v. offensa) Ciceronem substantivum *offensae* non usurpavisse, sed *offensionis* subst. et in epistolis et in reliquis scriptis: Att. I 17, 1; X 7, 3; XI 7, 3; XIII 23, 3; XV 25; alia exempla vide ap. Merguetum s. v. offensio. At posteriores Ov., Cels., Col., Sen., Petr., Plin., Tac., Quint., Suet., Tert., Cypr., Vop., Arn., Salv., Ennod., J. C. S. permulta exempla subst. *offensae* habent; quin Ennodius, cuius libros verbalibus in *io* desinentibus abundare indicibus Harteli et Vogeli apparet, tamen unam formam *offensae* posuit (cf. p. 43, 21; 57, 3; 64, 23; 76, 22; 126, 10; 311, 22 H.), quae cum vulgaris sermonis sit, Vogel in indice verborum editionis suae omittere non debuit. Etiam commemoro in Vulgata septies decies *offensio,* uno loco *offensa* inveniri.

Agripeta. Cicero Plautum imitatus, qui ipse quoque eiusmodi composita formavit, velut Pseud. 1114: *lucrifuga,* Most. arg. 6: *lucripeta* (Lorenz, ausgew. Kom. d. Plaut. 4. Bd. Pseud. v. 1114), ter in epp. ad Att. substantivum scripsit: XV 29, 3; XVI 1, 2; 4, 3, semel de d. n. I 26, 72; at in oratt. *agrarii* dixit. Post Ciceronem scriptores similibus vocabulis abundant, Petr. 124: *heredipeta,* Apul. de dogm. Plat. II 15: *honoripeta;* Vulg. exod. 21, 29: *cornupeta;* cf. Georg., Handwörterb.; Roensch, It. et Vulg., p. 82. 85.

Substantiva in mentum et monia desinentia inprimis apud antiquos fabularum scriptores frequentia fuisse iam alii saepius docuerunt, velut Ploen, de copiae verborum differentiis, dissert. Argent. 1882, p. 254. 259. 260; Paucker, meletemata lexistorica altera, Dorpat 1875, 23—31; Guericke, de linguae vulg. reliquiis ap. Petr. et in inscr. parietariis Pompeianis. Dissert. Gumbinnae 1875, p. 31. E Cic. epp. ad Att. huc spectant **levamentum** XII 43, 1: *rem fore levamento;* de fin.

V 19, 53: *levamentum miseriarum;* sed Att. XII 16 *levamen;* plura exempla vide ap. Georg. **Aegrimonia:** Att. XII 38, 2: *si novae aegrimoniae locus esset;* cf. Plaut. Rud. IV 4, 146; Stich. III 1, 5; Hor. epod. XIIII 18; XVII 73; Plin. N. H. 28, 8, 104. Elegantius Cic. scripsit *aegritudo,* etiam in plur. num. Att. XII 23, 2: *ad maximas aegritudines.*

Substantiva verbalia in io et in or desinentia frequentiora fuisse in sermone cotidiano quam in eleganti oratione nemo infitiabitur: nam comicorum fabulae affluunt exemplis, quae huc pertinent. Ac primum quidem memoratu digna sunt ea, quae verborum, a quibus ducta sunt, vim servaverunt, velut Plaut. Truc. 258: *quid tibi ad hasce accessiost prope aedis aut pultatiost?* 622: *quid tibi huc ventiost; quid tibi hanc aditiost?* Amph. 519: *quid tibi hanc curatiost rem*, *verbero*, *aut mutatio?* quae consuetudo iam ap. Graecos invenitur, velut Plato Apol. Socr. 30 A *τὴν ἐμὴν τῷ θεῷ ὑπηρεσίαν* (v. Cron ad eum locum). Conferri potest ex nostro sermone infinitivi usus substantivi loco, qui ipse inprimis cotidiani sermonis est, velut das Nachhausegehen. Deinde habenda ratio est eorum exemplorum, in quibus pluralis numerus substantivi abstracti positus est, velut *itiones-mansiones,* Ter. Phorm. 1012. Ex epp. ad Att. huc spectant Att. I 14, 1: *ereptum e summis* **occupationibus**; IV 16, 1: *occupationum mearum vel hoc signum erit;* XII 26, 1: *tuis o. ignosco;* Anton. in epp. ad Att. XIV 13 A, 1: *o. est factum meis;* I 16, 5 *adulescentulorum nobilium* **introductiones**; Cael. in epp. ad Att. X 9 A, 1: *his* **intercessionibus** *plane incitatus est;* Att. V 13, 1: *te intellegere certo scio multorum annorum* **ostentationes** *meas nunc in discrimen esse adductas;* XI 22, 1: *istas* **impetrationes** *nostras.* Omnino apud Ciceronem in epistolis, ut apud comicos, maiorem substantivorum in *io* vel *or* exeuntium copiam invenimus: nam epistolarum genus saepe brevitatem requirit; interdum id agitur, ut notio alicuius rei uno verbo exprimatur: tum Cicero non dubitabat ipse vocabulum fingere; itaque in epistolis magnum verborum numerum legimus, quae aut apud neminem alium scriptorem in usu erant, aut a posterioribus demum in

usum convertebantur. In dialogis quoque, cum saepe apud Graecos, quos in Latinum sermonem transtulit, notionem, quae rem luculenter adumbraret, inveniret, Cicero coactus est, ut apta vocabula, quae Graecis responderent, ipse formaret. Exemplum proferam ex epp. ad Att. XVI 11ᵇ: *mirifica ἀπάντησις*; VIII 16, 2: *quas fieri censes ἀπαντήσεις*; IX 7, 2: *ad urbem ἀπάντησις*, quod ut Latine redderet, Cic. vocabulum **obviam itionis** formavit Att. XI 16, 1; XIII 50, 4. Exemplaria habebat pristinos scriptores, qui *domum itio* scripserant, velut Lucil. Sat. p. 207, 470 frgm. poet B.: *domum itionis cupidi;* Pacuv. 173, fragm. trag. R p. 95: *nam solus Danais hic domum itionem dedit;* Attius v. 173, ibid. p. 158: *ab domum itione arceret;* ex inc. fab. v. 26, ibid. p. 238: *iam domum itionem parant.* Sed nonnunquam Cicero, quamquam Latinum vocabulum aptum et usitatum sumere potuit, cum ad Atticum scriberet, Graecum praetulit, velut Att. I 12, 1: *σκήψεις atque ἀναβολαί = tergiversationes et dilationes;* IX 19, 1. XIV 15, 2; 16, 2: *ἀναθεώρησις = consideratio;* X 8 A, 1: *ζηλοτυπία = obtrectatio.* Jam ea substantiva in *io* vel in *or* desinentia, quae prius semel dicta putabantur, in parvum numerum redacta sunt, posteaquam nostra aetate docti coeperunt etiam posteriores scriptores, qui ante neclegebantur, studiosius lectitare et describere.

a) Substantiva, quae nusquam nisi apud Ciceronem leguntur:

Inhibitio *remigum*, Att. XIII 21, 3;
obiratione *huius nebulonis*, Att. VI 3, 7, quo loco in cod. Med. scriptum est *operatione*, ap. Wesenbergium *oratione;*
pellectio, Att. I 13, 1, ubi vestigia cod. Med., in quo legitur *pelletionem* ad verba „*per lectionem*" ducere videntur;
prensatio *praepropera*, Att. I 1, 1;
remigatio, Att. XIII 21, 3.

b) Substantiva, quae apud Ciceronem primum inveniuntur, a posterioribus recepta sunt:

aberratio a dolore, Att. XII 38, 3; a molestiis, epp. XV 18, 1. Gelas. epp. 43, 6.
abrogatio *legis*, Att. III 23, 2; Val. Max. IX 1, 3;

devitatio *legionum*, Att. XVI 2, 4; saepi[illegible]us ap. Augustin.

dignatio: *de dignatione* (*de dignitate* Wesen[illegible]) *laborat*, Att. X 9, 2. Exemplis ap. Georg. enumeratis addo Suet. Caes. 4; Tac. Germ. 13; Plin. N. H. 35, 87; saepissime ap. Ennod.; cf. ind. Vogeli, p. 378;

erogatio *pecuniae*, Att. XV 2, 4; exempla posteriorum vide ap. Georg.;

impugnatio, Att. IV 3, 3; Hier. Jes. V 18, 2; Ennodius duodecim locis, vide ind. Vogeli, p. 389;

iocatio, Att. II 8, 1; epp. IX 16, 7; bis ap. Cornif. III 13, 23 (Georg. falso 26).

c) Substantiva a Cicerone in orationibus devitata:

Abruptio: 1) divortium, Att. in epp. ad Att. XI 3, 1; 2) dissecare, div. II 40, 84; cf. Georg. Etiam verbum *abrumpendi* Cicero uno loco posuit, in Phil. XIV 31, quae orationes cum ira atque concitatione animi habitae multis rebus a Ciceronis oratoris elegantia abhorrent;

adiunctio, Att. VII 2, 4; saepe in dialogis et rhetoricis libris;

admonitio, Att. XII 46; in oratt. subst. *admonitus* cum ablativo usurpatum est: Sest. 129, Verr. II 60; IV 148; Catil. III 8; har. resp. 56;

altercatio, Att. I 16, 8; v. Georg.;

apricatio: *unam tecum apricationem malim,* Att. VII 11, 1; de sen. 26, 57; Col. R. R. 8, 8, 4;

asseveratio, Att. XIII 23, 3; in oratt. verbum *asseverandi* quater, cf. Merguet;

attributio, Att. XV 13, 5; XVI 1, 6. 3, 5; at in oratt. persaepe *attribuere;*

castigatio, Att. III 10, 3. Exemplis a Georg. allatis adicienda sunt exempla Ennod. in Vogeli ind. p. 371;

commissio, Att. XV 26, 1; XVI 5, 1; v. Georg.;

constructio, Att. IV 5, 3; Hertzberg *constrictio*, quod Orellio probatur.

correctio, Att. II 15, 2 = ἐπανόρθωσις; in oratt. bis *corrector,* Balb. 20, Phil. II 43;

cretio ***simplex***, Att. XI 12, 4; ***libera*** XIII 46, 3; quid hoc sibi velit, Georges explicavit. s. v.;

delegatio, Att. XII 3, 2 = Anweisung zur Bezahlung; in oratt. bis *delegare:* dom. 16; Font. 18;

designatio, Att. IV 4^{b}, 1: *d. librorum* = Anordnung; in oratt. persaepe *designare*, cf. Merguet;

detractio, Att. XII 35, 1 = Wegnahme; permulta exempla congessit Georges s. v.;

impetratio, Att. XI 22, 1; Cod. Just. II 58, 2; Don. ad Ter. Andr. II 1, 15; Augustin. serm. 83, 6, Ennod. sexies, vide Vog. ind. p. 389.

introductio, Att. I 16, 5; Ennod. 307, 11 V.; Tertull. adv. Marc. 5, 6; Vulg. Hebr. 7, 19;

levatio, Att. XII 23, 3; 29, 1; 41, 3; v. Georges;

mansio, Gall. maison, Att. II 16, 4; VIII 15, 2; IX 5, 1; XVI 1, 2; Att. in epp. ad Att. IX 10, 8; Ennod. quater, cf. Vogel p. 393, Hartel p. 684;

miratio: ***res habebit mirationem***, Att. V 4, 1, Wesenb.; ***habebis mei rationem*** Orelli;

occultatio: ***habebam in illis occultationem***, Att. IX 13, 5; ***turpis o. sui***, Cic. fragm. A, I; de fin. 2, 73; Caes. b. g. VI 21, 5;

pacificatio, Att. VII 8, 4; IX 11, 2; ap. Georg. parum copiose ac dilucide;

permansio, Att. XI 18, 1 = **Verbleiben an einem Orte**, cf. Georges;

repraesentatio, Att. XII 31, 2; XIII 29, 1; epp. XVI 24, 1 = Barzahlung; e sermone iuris consultorum vocabulum est desumptum;

ruminatio, Att. II 12, 2, idem quod repetitio;

tentatio: ***novae tentationes*** **neue Anfälle**, Att. X 17, 2;

vaticinatio: ***Sibyllinae vaticinationes***, Att. VIII 12, 1; cf. Georges.

Alia substantiva, quae in *io* desinunt, ne longior fiat oratio, quoniam artioribus finibus terminanda est commentatio, praetermitto, quamquam multo latius patuisse eorum usum in epistolis comprobaretur.

Substantiva, quae in or exeunt. Paucker, Meletemata lexistorica altera, Dorpat 1875:

Enumerantur ea modo, quae aut ab uno Cicerone aut omnino rarius in litteris Latinis usurpata sunt:

Galliae ulterioris **adiunctor,** Att. VIII 3, 3, semel dictum.

Sustineas currum, ut bonus saepe **agitator**, Lucullus (vel Lucilius) in epp. ad Att. XIII 21, 3; *ego ut agitator callidus — equos sustinebo*, Acad. pr. II 29, 94. Plura vide ap. Georg.

Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, **approbator** *certe fuisti,* Att. XVI 7, 2; praeterea nusquam nisi ap. Gell. et Augustin.

Consul-tantum **cavillator,** Att. I 13, 2, de Pisone dictum; Plautinum est subst., velut Mil. 642, Truc. 685.

Nostri isti **comissatores** *coniurationis,* Att. I 16, 11; exemplis a Georgesio enumeratis adde Ennod. 479, 8 H.

Ex **consponsorum** *tabulis,* Att. XII 17; *Galba consponsor tuus,* epp. VI 18, 3; praeterea ap. Paul. Diac. et in gloss. Isid.

Convector i. e. qui una vehitur navi: *convectore usurum,* Att. X 17, 1; idem valet subst. ap. Apul. met. I 15.

Decimum **designatorem** *retinet,* Att. IV 3, 2; Graece βραβευτής; Ulp. Dig. 3, 2, 4, § 1.

Glutinator: *praeterito tepido, glutinator, glutino,* Lucil. Sat. p. 213, 506 B.; *velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus,* Att. IV 4b, 1, cf. Naegelsbach-Mueller, Stilistik, 7. A., p. 33; praeterea bis C. J. L. 2925; 6445.

Interpellatores (Störenfried) *illic minus molesti,* Att. XV 13, 6; *molesti i.,* Cornif. II 11, 16; *ubi se oblectare sine interpellatoribus posset,* Cic. off. III 14, 58.

Joculatorem *senem illum — interesse sane nolui,* Att. IV 16, 3; *scenici ioculatores,* Firm. math. 8, 22.

Nugator: *illic nugator nihili, non nauci est homo,* Enn. Sat. p. 123, 494 B.; *nugator cum idem ac nebulo sit,* Lucil. Sat. p. 199, 407 B.; *quam me hoc tempore, nugator, cognoscere non vis?* idem p. 245, 769 B.; *ad sapientiam huius nimiam nimius nugator fuit,* Plaut. Capt. 275; *Graeci exsultant, quod peregrinis iudicibus utuntur. Nugatoribus quidem, inquies,* Att. VI 1, 15. —

Apul. met. V 29 etiam formatione in *o* exeunte utitur, ut omnino eiusmodi subst. (cf. in Gallica lingua subst. in *ou* desinentia) plerumque in malam partem usitata in sermone cotidiano frequentia erant, velut *bibo* = compotor, comissator, *epulo*, *erro* = grassator, *gulo* Leckermaul, *manduco*, *murmuro*, *palpo*, *susurro*, *vitupero* (Laevius frgm. p. 288, 7 B.).

Pacificator *Allobrogum*, Att. I 13, 2; ap. Cic. nusquam alias.

Praediator Güteraufkäufer, Gaius inst. 2, 61: *Appuleium praediatorem videbis*, Att. XII 14, 2; *Appuleius pr. liberalis*, XII 17; *ad Furium et Cascellium praediatores*, or. p. Balb. 20, 45.

Provinciae **propagator**, Att. VIII 3, 3; Georges praeter hunc locum adnotat Apul. de mund. 37; Gruter. inscr. 271, 4.

Auctore te, illo **relatore** (Berichterstatter im Senate) Balb. in epp. ad Att. VIII 15, 2; hanc vim vocabulum nusquam alias habet.

Structores Bauleute, Att. XIV 3, 1, Qu. fr. II 6, 2; saepe apud alios.

Hic noster Hierosolymarius **traductor** *ad plebem*, Att. II 9, 1. Quae eo loco de Pompeio dicta sunt, Cicero ipse finxit.

2. Adiectiva et adverbia.

a. Adiectiva:

Alsus. Comparativum gradum adiectivi a Cic. bis in epp. usurpatum, Att. IV 8, 1: *nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius*, Qu. fr. III 1, 2, 5: *nihil alsius, nihil muscosius*, nusquam alias legi iam Krebsius monuit in Antibarbaro, qui nunc sextum editur a Schmalzio, Basileae 1887.

Assus: 1) gebraten: epp. IX 20, 1: *usque ad assum vitulinum opera perducitur;* saepe ap. Plaut., velut Most. V 1, 66; Curc. 367; Asin. 180; ap. Hor. Sat. II 2, 51; 74, ap. alios; 2) trocken: Att. XII 6, 2: *pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus;* 3) balnearia assa Schwitzbäder: Q. fr. III 1, 2: *in balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi.*

Aculeatus. Plauti in Bacch. 63 exemplum secutus *(eadem in usu atque ubi periclum facias aculeata sunt)* Cicero ipse

quoque verbo per translationem utitur Att. XIV 18, 1: ***satis aculeatas ad Dolabellam litteras dedi;*** at in acad. pr. II 24, 75 respice appositum „*quaedam*": ***contorta et aculeata quaedam sophismata.***

Cerritus. Plautinum vocabulum (v. Georg.) legitur Att. VIII 5, 1: ***nunquam cerritior fuit quam in hoc negotio.*** Etiam ap. Hor. Sat. II 3, 278: ***Hellade percussa Marius cum praecipitat se, Cerritus fuit,*** poetae comici locus videtur obversatus esse.

Grandis. Cum in oratt. adiectivum persaepe cum substantivo ***pecuniae*** coniunctum sit (v. Merguet), quod in epp. quoque reperimus, Att. VIII 14, 3, XIV 12, 1, in his Cicero iam maiore licentia adiectivum etiam aliis substantivis apponit, Att. XIII 13, 1: ***grandiores sunt omnino*** (suppl. libri); 21, 1: ***ad Hirtium dederam epistolam sane grandem,*** qui usus apud posteriores tam late patebat, ut paullatim „magnus" omnino tolleretur, quod comprobatur adiectivo Gallico „grand".

Quoteni nusquam nisi ap. Cic. legitur: Att. XII 33, 1: ***is ita partes fecit in ripa nescio quotenorum iugerum.***

Adiectiva in arius desinentia: Lorenz, adn. ad Plaut. Pseud. v. 952, Guericke, l. l., p. 31, Roensch, Itala et Vulg. p. 131:

Notentur eclogarii (suppl. libri) nusquam nisi Att. XVI 2, 6.

Hierosolymarius ***traductor ad plebem,*** Att. II 9, 1, cf. supra p. 23.

Piscinarii ***nostri,*** Att. I 20, 3; ***hos piscinarios dico*** I 19, 6; ioculariter dictum de Hortensio, Lucullo, aliis, qui piscinas, Graece ***ἰχθυοτροφεῖα, κολυμβήθρας, δεξαμενάς,*** ceteris rebus praetulerint.

Sanguinaria ***iuventus,*** Att. II 7, 3; idem valet quod sanguinis sitiens, quam vim Cicero primus verbo attribuisse mihi videtur.

Sumptuarius: Quis nescit ***leges sumptuarias,*** de quibus vide Orelli, onom. Tullian., VIII 3; adiectivum ***legi*** appositum (Att. XIII 7, 1; epp. VII 26, 2; IX 15, 5) Cicero etiam alii substantivo adiecit Att. XIII 47a: ***tu velim e Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias.***

Voluptarius: *homini non recta, sed voluptaria quaerenti,* Att. XII 2, 2; *voluptarias possessiones nolet Silius,* XII 25, 1; saepe etiam in dialogis, v. Georg.

Adiectiva in orius desinentia: Paucker, Materialien zur lat. Wörterbildungsgesch. Herausgeg. v. H. Rönsch. Berlin 1884. Die Adj. auf orius, p. 27—45:

Candidatorius semel dictum pro genetivo substantivi, Att. I 1, 2: *in omni munere candidatorio fungendo.*

Consolatorius: *litterae* Att. XIII 20, 1; *codicilli* Suet. Otho 10; saepius ap. Augustin., Cassiod., in Vulg.

Legatorius: *legatoriam provinciam,* Att. XV 9, 1; alterum exemplum huius adiectivi affert Georges e Lampr. Alex. Sev. 24, 1: *provinciae legatoriae praesidiales.*

Obiurgatorius: Att. XIII 6, 3: *una cum illius obiurgatoria* (sc. epistola); praeter hunc locum ap. Gell. et Amm.

Adiectiva in osus desinentia: Paucker, l. l., Adjektiva auf osus, p. 72—92; Guericke, l. l., p. 32.

Pannosus: *paucis pannosis linea lanterna,* Att. IV 3, 5; eandem vim tenet bis ap. Justin.; ab aliis etiam per translationem usurpatum est; v. Georg.

Ponderosus: *da p. aliquam epistolam,* Att. II 11, 1; *vox ponderosa* Val. Max. 6, 4, 1.

Stomachosus: cum Cicero *stomachus* et *stomachor* aliquotiens in oratt. usurpaverit (*stomachor:* Verr. I 121, Planc. 35, ib. 65, Clu. 59; *stomachus:* Tull. 15, Mur. 19; 28; Verr. II 48), saepius tamen in epp. leguntur ad Att.: *stomachor:* VIII 18, 2; IX 19, 2; XII 37, 2; XIV 21, 3; XVI 1, 1; 16 F, 17; *stomachus:* II 6, 2; IV 18, 2; V 1, 4; 11, 2; VI 3, 7; XV 15, 3; XVII 2, 3; 3, 1; epp. ad Brut. I 13, 2. At adverbio *stomachose,* Att. X 5, 3: *rescripsi ei stomachosius,* non minus quam adiectivum in eleganti sermone vitavit.

Adiectiva in icius desinentia: Paucker, l. l., 5. Abt., p. 93—110; Koehler, l. l., p. 376; Lorenz, adn. ad Pseud. 1150:

Collectius: *tirone et c. exercitu,* epp. VII 3, 2. Sen. nat. qu. 7, 23, 2.

Pastoricius: *sine ulla p. fistula,* Att, I 16, 11 (Hirtenpfeife); *fera quaedam et plane past. sodalitas,* or. p. Cael. 11, 26,

quo loco in Paris. secunda manu *storicia* in rasura correctum est, ut fortasse lectio prior *pastoralis* fuerit.

Tralaticius (translaticius) saepius de legibus dictum: *edictum tr.:* Att. V 21, 11; *vetus edictum translaticiumque,* Verr. I 44; ibid. 117; *alterum caput est tralaticium de impunitate,* Att. III 23, 2; sed in epistolis adiectivi usus latius patet: epp. III 8, 4: *hoc vero, ex quo suspicio nata est me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, tralaticium est;* Cael. in epp. VIII 5, 2: *nosti haec tralaticia.*

Adiectivum in ax desinens: Paucker, l. l., p. 45; Guericke, l. l., p. 31:

Tagax, quod grammatici Festus p. 359, Nonius p. 408, 33 a tangendo ductum esse dicunt, legitur Lucil. Sat. p. 239, 723 B.: *Musconis manum perscribere posse tagacem;* pari modo Cic. Att. VI 3, 1: *homo est levis, libidinosus, tagax.*

Adiectiva in bilis desinentia: Paucker, l. l., p. 46—71; Stinner, p. 11; Landgraf, l. l., p. 319.

Inexplicabilis: *res sunt inexplicabiles,* Att. X 2, 2; *o rem difficilem et inexplicabilem,* Att. VIII 3, 6; *o rem odiosam et inexpl.,* XV 4, 5; *est enim inexplicabilis* (sc. legatio), XV 9, 2; *haec scilicet inexplicabilia esse dicitis,* Acad. pr. II 95.

Tractabilis: Att. X 11, 3: *nihil est eo tractabilius;* nusquam in oratt., at in dialogis invenitur.

(Exorabilis, quod Stinnerus enumerat, etiam in or. de dom. 17, 45 legitur; equidem adiectiva, quae in oratt. usurpabantur, omisi).

Adiectivum in bundus desinens. Guericke, p. 32; Landgraf, p. 320:

Noctuabundus utitur Cicero unus ad tempus significandum Att. XII 1, 2: *noctuabundus ad me venit,* quod sine iusta causa Bootius in suspicionem vocat; sane concedo aliis locis adverbium positum esse, velut Att. XIII 46, 5; sed illo loco adiectivo exprimitur tabellarium per totam noctem, ut epistolam redderet, measse.

De adiectivo **pulverulentus** Att. V 14, 1: *aestuosa et pulverulenta via* vide ap. Landgr. p. 320, Paucker, p. 91.

Adiectiva composita:

Breviloquens nusquam nisi in epp. ad Att. VII 2, 1 inveni: *breviloquentem iam me tempus facit.* Similia verba saepe apud poetas leguntur, velut *blandiloquens*, Dec. Laber. 106, fragm. com. p. 295 R.; *blandiloquus*, Plaut. Bacch. 1173; *blandiloquentulus,* Trin. 239a; *confidentiloquus,* ibid. 201; *doctiloquus* Enn. Ann. p. 115, 439 B.; *dulciloquus* Apul. frgm. poet. p. 378 B.; *fallaciloquus,* Attius 694 frgm. trag. p. 225 R.; *falsiloquus,* Plaut. Capt. 264; *mendaciloquus,* Trin. 767; *multiloquus,* Pseud. 772; *planiloquus,* Truc. 864; *stultiloquus,* Pers. 514; *suaviloquens*, Enn. Ann. p. 90, 222 B.; *vaniloquus*, Plaut. Amph. 379; *versutiloquus*, inc. poeta, frgm. trag. p. 251 R.

Celeripes: Jocans Cic. hoc nomen tabellario imponit Att. IX 7, 1, quod iam in fragm. incerti poetae legitur (trag. frgm. p. 268 R., frgm. poet. p. 401, 149 B.): *rapite, agite, ruite celeripedes.* Idem vocabulum bis ap. Auson. epigr. 146, 32, parent. 27, 4 invenitur; (Graece ποδώκης).

Multiiugis. Att. XIV 9, 1: *litteras multiiuges accepi,* proprie vielspännig, per translationem vielfältig; plura exempla v. ap. Georg.

Semiliber: *semiliberi saltem simus*, Att. XIII 31, 3; Cic. frgm. ap. Sen. de brev. vit. V 2.

b. Adverbia:

Apparate: *opipare sane et apparate*, Att. XIII 52, 1; *vitiosum est, quod nimium app. compositum est,* Cornif. I 7, 11; conferri potest cum hoc adverbio **placate**: *omnia humana placate et moderate feramus*, epp. VI 1, 4; *molestias remissius et placatius ferre,* epp. VI 13, 3.

Opipare: *munera, quae op. congesserant*, Att. V 9, 1; *Alexio me op. muneratus est*, VII 2, 3; *edit et bibit ἀδεῶς et iucunde, op. sane et apparate,* XIII 52, 1; *op. paratum convivium,* off. III 14, 58, ubi Cicero adv. in narratiuncula de C. Cassio equite ex antiquiore scriptore mihi quidem videtur sumpsisse; praeter hos locos Ciceronianos conf. Caecil. Stat. 100, fragm. com. p. 52 R.: *i, puere, duc me ad patrios fines decoratum op.;* Plaut. Bacch. 373: *instructa domus opime atque opipare est.*

Spurce, It. sporco. In numero vocabulorum, quae inprimis vulgaris sunt sermonis, est *spurcus*, quod Non. p. 394, 9 explicat, cum dicit *significare obscenum et impurum et lutulentum*. Prisci scriptores adiectivum in usu habebant, velut Lucil. Sat. p. 158, 128 B.: *spurcus homo,* p. 225, 600: *quaeque aspectu sunt spurca et odore,* Titin. v. 8, fragm. com. p. 134 R.: *ita spurcus animatur in proelium,* Afran. 58, ibid. p. 173: *mulier spurca,* Pompon. 154, ibid. p. 248: *quae peditibus nubere poterant, equites sperant spurcae;* Plaut. Asin. 807: *tot noctes reddat spurcas.* Aliquotiens ira inflammatus Cicero adiectivo utitur etiam in oratt.: Verr. I 37, 94: *homo avarissime et spurcissime,* Phil. XI 1, 1: *duo haec capita nata sunt post homines natos taeterrima et spurcissima, Dolabella et Antonius,* de dom. 18, 47: *hanc tibi legem Clodius scripsit spurciorem lingua sua.* Adverbium legitur ap. Cic. Phil. II 99: *qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris;* frgm. or. Gall. B, IX, 3 Orelli: *qui spurce dictum commemorarent;* Att. VIII 2, 4: *bene eveniat, inquit Carneades, spurce;* VI 13, 2: *perscribit spurcissime;* Cornif. I 5, 8 *spurce factum-proferemus.*

Desperanter adv. a partic. ductum uno loco Att. XIV 18, 3: *desperanter tecum locutus est*, invenitur.

Adverbia in iter desinentia: Neue, Formenlehre II², 653; Guericke, p. 33; Kuehner, lat. Gramm. I, 680, Hellmuth, p. 114; Koehler, p. 378; Landgraf, p. 320:

Humaniter: *ferre,* Att. I 2, 1; IV 18, 1; *scribere* I 20, 1; *vivere,* epp. VII 1, 5; *facere,* Q. fr. II 1, 1; *cogitare,* Anton. in epp. Att. XIV 13 A, 2.

Ignaviter: Lucil. Sat. p. 194, 376 B.: *cur tam ignaviter-quaeris? ign. facere,* Hirt. in epp. ad Att. XV 6, 2; B. Afr. 81; Claud. Quadr. ap. Prisc. p. 1010.

Adverbia in im exeuntia: Paucker, Materialien zur lat. Wörterbildungsgeschichte, p. 129:

Affatim: cf. Woelfflin, lat. u. rom. Comparation, p. 22, Brix ad Plaut. Men. 91. Proprie *ad fatim* bis zur Übersättigung; itaque coniunctum cum verbis edendi, bibendi, aliis: *aff. edi, bibi,* Liv. Andron. frgm. poet. p. 41 B.; at ap. Hor. epp. II 2, 214 *lusisti*

satis, edisti satis; Cic. ex Aesch. v. 13, p. 309 B.: *iecore opimo farta et satiata aff.;* Plaut. Poen. 534: *edas-usque ad fatim;* Cic. D. N. II 51, 127: *isdem seminibus homines aff. vescuntur.* In epp. usus etiam latius patet: Att. XIV 16, 3: *cum Bruto nostro aff. satisfecerim;* XVI 1, 5: *HS LXXII satis esse, aff. prorsus.*

Summatim: Neue, Formenl. II², 662; Kuehner, Gramm. I, 622; Koehler, 380; Guericke, 33. *Summ. experiar rescribere paucis,* Lucil. Sat. p. 237, 705 B., *ne tu s. rationem putes,* Afran. 79, frgm. com. p. 175 R.; *nunc iam s. exponam* Cic. p. Clu. 19; *s. adhuc ad te* (sc. scripsi), Att. XV 4, 5; *a me pauca et ea s.* (sc. cognosces), epp. X 28, 3; *s. perscribere,* Att. V 16, 1.

Syllabatim: *Spintharo* (dictavi) *s.,* Att. XIII 25, 3; *cum tuus iste Stoicus sapiens s. tibi ista dixerit,* Acad. pr. II 38, 119; Augustin. genes. ad litt. I 10, 20.

(Adv. *cursim* et *vicatim* sciens praetermitto, cum etiam in oratt. saepius legantur).

3. Verba.

Apiscor. In dubium vocatum est, utrum Att. VIII 14, 3 *maris apiscendi* an *adipiscendi* scribendum sit. Equidem illam formam, quam cod. Med. prima manu exhibet, praetulerim, cum non raro ap. Plaut., Ter., Lucil. inveniatur, velut Plaut. Epid. 15. 668. Trin. 367; Ter. Phorm. 406; Lucil. Sat. p. 203, 440 B. Etiam in epistola Servii ad Ciceronem verbum simplex legitur (epp. IV 5, 6). Plura exempla vide ap. lexicographos.

Centurio. Per translationem sine casu Cicero verbo utitur Att. XVI 9: *centuriat Capuae, dinumerat,* i. e. centurionis partes tuetur, Plautum secutus. Conf. Lorenz adn. ad Pseud. 550.

Fruticor. Cum Juven., Plin., Colum. verbo activo usi sint, unus Cicero uno loco Att. XV 4, 2 deponens assumpsit.

Muginor: Conf. Roensch, Z. f. Ö. G. 1882, 8/9. Explicatum est verbum a Paulo ex Festo, p. 147, 1, cum diceret *idem valere*

quod nugari et quasi tarde conari, in Gloss. Mai, VI p. 534, in Gloss. Isid., p. 686, 34. Praeter hos locos invenimus verbum Atta v. 4, p. 160 frgm. com. R., Lucil. Sat. p. 171, 222 B., Cic. Att. XVI 12: *dum tu muginaris*, Gell. V 16, 5.

Pigror: Primum legitur ap. Cic. Att. XIV 1, 2: *scribere ne pigrere;* iterum ap. Lucr. I 410: *quodsi pigraris.*

Prendo. Att. XII 13, 2: „*prende C. Septimium*," equidem comparaverim cum Ter. Phorm. 620: *prendo hominem solum.*

Tinnio, proprie klappern, saepe ap. Plautum cum significatione leere Worte machen, velut Cas. II 2, 32, Pseud. 866, Asin. 448, Poen. prol. 33. Apud Cic. Att. XIV 21, 4 significat nostrum vocabulum cotidianum blechen: *exspecto, ecquid Dolabella tinniat.*

Tricor. vide supra p. 15.

Vapulo. Plautinum et Terentianum fuisse apparet ex lexicis. Cum Plaut. Curc. 568: *vapulare ego te vehementer iubeo*, comparari potest Hor. Sat. I 10, 99: *plorare te iubeo.* Per translationem verbum usurpatum est a Cael. in epp. VIII 1, 4: *septimam legionem vapulasse*, die 7. Legion habe Hiebe bekommen, Cic. Att. II 14,1: *cum se omnium sermonibus sentiet vapulare*, wenn er merkt, daß er herübergezogen wird.

Verba in urio desinentia: cf. Quintil. VIII 3, 32; Landgraf, p. 321:

Petiturio: Att. I 14, 7: *video hominem valde petiturire.*

Proscripturio, sullaturio: Att. IX 10, 6: *ita sullaturit animus eius et proscripturit iam diu.*

Effligo. Plautinum est: Asin. 818, Cist. II 1, 50; item Att. IX 19, 2: *filium misit ad effligendum Cn. Pompeium* (den Garaus machen).

Impingo. Cum Att. VI 1, 6: *hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti* equidem contulerim Hor. Epp. I 13, 8: *quam quo perferre iuberis clitellas* (i. e. epistolas) *ferus impingas.*

Obduro. Plaut. Asin. 322: *pernegabo atque obdurabo;* Cic. Att. XII 3, 1: *obduretur hoc triduum;* Hor. Sat. II 5, 39: *persta atque obdura;* Ov. Am. III 11, 17: *perfer et obdura;* Trist. V 11, 7; Catull. VIII 12: *iam Catullus obdurat.*

Obtento = erigo, semel dictum ap. Cic., quod verbum ap. Georg. omnino desideratur: *spes quaedam me obtentabat*, Att. IX 10, 3.

Pellego. Sine iusta causa Orellius Att. XIII 44, 2 *perleget* mutavit pro *pelleget;* nam Prisc. Inst. gramm. II 10, p. 50, 5 H. plane dicit *in compositis quibusdam se invenire r in l converti*, *ut pellego pro perlego;* etiam Vel. Long. 65 K: *„per praepositio omnibus integra praeponitur, nisi cum incidit in l litteram adfinem consonantem, quam elegantioris sermonis viri geminare malunt quam r litteram exprimere.“* Adnoto Lucil. Sat. IX, p. 179, 268 B.; Plaut. Asin. 747, Pseud. 29. 976.

Praefulcio. Att. V 13, 2 *illud praefulci atque praemuni,* nos dicimus vorbauen; cf. Lorenz, adn. ad Pseud. v. 750. Postea ap. Gell. VII 3, 44.

Verba frequentativa sciens praetereo, cum contra Landgrafium (p. 320) statuam ea apud Ciceronem etiam in epp. propriam et principem vim iterandi tueri. Ceterum Landgrafio non silentio praetermittendum erat Att. V 21, 5 lectionem *transitans* ex Bosii quae vocantur scidis sumptam esse, cum lectio Med. sit *„transitam“*, quam Wesenbergius asterisco posito recepit, Baiterus legit *„Julia lege transita.“*

Verba, quae motum significant: Landgraf, p. 325; Thielmann, **Über die Sprache und Kritik des latein. Apolloniusromans,** p. 33.

In sermone cotidiano verba **ambulandi** et **vadendi** paullatim omnino in locum verbi *eundi* successisse iam inde apparet, quod illa verba in linguas Romanas recepta sunt. Inprimis in Plauti et Terenti fabulis permulta exempla leguntur, quibus demonstrari potest ambulare idem valuisse quod abire, velut Epid. 377 Epidico *se abire* dicenti Stratippus respondet: *bene ambulato;* Curc. 621 ad verba *„ambula in ius“* respondetur *„non eo“;* etiam aliis locis variae locutiones usurpantur, velut Curc. 624: *ambula in ius;* Ter. Phorm. 936: *in ius ambula;* contra Plaut. Truc. 839: *eamus, tu, in ius,* ut intellegas Plauti et Terenti aetate duas locutiones uno tempore in usu fuisse. Deinde memorabile duco votum *„bene ambula“*, quod eandem

vim tenet quam salutatio „*bene vale*“, velut Asin. 108. Merc. 327 Demiphonti cum dixisset „*bene ambulato*“, Lysimachus: *bene vale,* inquit, cf. etiam Capt. 452. Idem votum „*bene vale*“ etiam bis in extremis epistolis reperitur, in Curii ep. (epp. VII 29), in Matii ep. (epp. XI 28), cum Cicero semper simplex „*vale*“ scripserit. Verbum Gallicum *aller* ex altera forma *amblare,* quae iam altero p. Chr. saeculo in usu erat, ductum esse Woelffl. monuit, Lat. u. rom. Comparation, p. 86. Conf. Florus, frgm. poet. p. 373 B: *ege nolo Caesar esse, amblare per Britannos;* Hadrian. ibid.: *ego nolo Florus esse, amblare per tabernas;* Wilmanns inscr. 565 pro „*ambulareis*“ legendum esse „*amblareis*“ versus docet. Apud Ciceronem autem ambulare non idem significat quod abire, quam notionem illud persaepe apud comicos habere supra demonstravimus, sed exprimit idem quod simplex ire ita, ut plerumque non additum sit neque unde, neque quo se quis moveat; conf. Att. IX 4, 3: *si recte ambulaverit is, qui hanc epistolam tulit* = wenn der Briefträger ordentlich geht; Att. VII 1, 1: *ut philosophi ambulant, has* (sc. litteras) *tibi redditum iri putabam prius;* XV 1, 4: *quid est autem, cur ego personatus ambulem?* = einhergehe, cf. Hor. Sat. I 4, 51. De exercitu dictum est Att. VIII 14, 1: *eo modo ambulat Caesar et iis dictis militum celeritatem incitat,* quam vim verbum iterum apud Vegetium (IV. s. p. Chr.) mil. I 27 videmus tenere. At in verbo **vadendi**, quod in oratt. prorsus omittitur, ap. Cic. in epistolis inest altera verbi abeundi notio, quod elucet ex Att. XIV 11, 2: *Lentulus hodie apud me: cras mane vadit*; Att. IV 10, 2: *ad eum postridie mane vadebam;* IX 1, 2: *hinc vero vulgo vadunt* (sc. Romam). Quam loquendi consuetudinem a posterioribus receptam esse his exemplis comprobatur: Hor. Epp. I 13, 19: *vade, vale;* Vitruv. IX 2, 10: *vadens domum,* IX 4, 1; Sen. contr. 186, 10: *vade, inquit;* Mart. XI 1, 4: *vadas et redeas* (cf. Hor. Epp. I 7, 55: *it, redit*); Fronto p. 68: *vade, quantum potes;* Gell. XV 9, 10: *vade nunc;* Ennod. p. 374, 22 H.: *vade, inquit, Laconi,* 375, 1: *vade et pleno pectore dicta sententias;* 506, 15: *vade, ulterius non morabor,* quae omnia exempla si perlustraveris, inprimis imperativum *vade* salutantium videbis in usu fuisse.

Sed satis dictum esse arbitror de verbis ambulandi et vadendi; sequitur verbum **movendi**, quod in magna copia verborum erat, quibus sermo cotidianus, ut notio motionis exprimeretur, abundavit; cf. Lorenz, adn. ad Pseud. v. 535. Huc pertinet ex Cic. epp. movere, in eleganti sermone de exercitu, in sermone cotidiano etiam de singulis hominibus dictum, velut Att. IV 9, 2: *ego me de Cumano movi;* V 12, 1: *erat in animo nihil festinare nec me Delo movere;* VII 16, 3: *si nondum profectae sunt, nihil est, quod se moveant;* cf. Plaut. Trin. 802: *quid nunc stas? quin tu hinc te amoves et te moves?* Commovere, velut Att. III 13, 1: *nec me Thessalonica commovi;* III 14, 2: *non commovi me Thessalonica;* VII 7, 3: *prorsus te commoveri incommodo valetudinis tuae nolo;* XIV 17, 6: *quacunque nos commovimus;* epp. VI 20, 3: *tu cura, ut valeas et te istinc ne temere commoveas;* cf. Lucil. Sat. p. 220, 560 B. *commovet se nusquam.* Hoc loco commemorandum puto verbum **vertendi**: Att. XVI 10, 1: *vertam me a Minturnis Arpinum versus;* cf. Plaut. Pseud. 247 *vorte hac, puere, te.* Restat, ut verba **currendi** et **volandi** cum compositis afferam, quae, quoniam in sermone cotidiano aurea illa mediocritas inter parum et nimium non servatur, solito crebrius etiam in epistolis in usu erant. Ac prius quidem currere dicebatur de eis, qui non sibi tempus sumerent aut parum otii haberent, ut diutius alicubi versarentur, velut Att. IX 3, 1: *Domitii filius transiit Formias currens ad matrem Neapolim;* X 4, 8: *cucurrit* (Curio) *Puteolos, ut ibi concionaretur;* X 2[a], 3: *Postumus currens ad illum.* Operae pretium mihi videtur esse adnotare idem verbum in Philippicis redire III 30; X 10, quas orationes multis rebus a Ciceronis oratoris elegantia abhorrere iam supra diximus (p. 20). Accurrere autem interdum idem fere significasse quod advenire perspicuum est ex ep. ad Att. II 1, 4: *neque recusas, quin, non modo si opus sit, sed etiam si velis accurras* verbis *„si velis"* appositis; II 20, 5: *expeditus facito ut sis, si inclamaro, ut accurras;* IX 15, 4: *ita subito accurrit,* XII 18[a], 1: *opinor propter praedes suos accucurrisse;* XIII 48, 1: *Lepta me rogat, ut accurram;* XV 3, 1: *accurres in Tusculanum.* Sed ne falso interpreteris, quae dico: enu-

meravi haec exempla, non quo omnibus locis accurrere prorsus idem valeat quod advenire, sed quia omnino multo crebrius in epp. invenitur. Transeo ad verbum excurrendi einen Ausflug machen: Att. I 1, 2: *excurremus ad Pisonem;* X 15, 4: *excurro in Pompeianum;* XIII 45, 2: *Puteolos excurrere;* XIV 6, 3: *cupio excurrere in Graeciam;* deinde ad verbum incurrendi idem significans quod alias incidere in aliquem: Att. II 12, 2: *in me incurrit Roma veniens Curio meus;* denique ad verbum recurrendi: Att. XIII 47[b], 2: *equidem Kal. in Tusculanum recurram;* epp. XIV 3, 4: *Dexippo imperavi, statim huc ut recurreret;* Hirt. in epp. ad Att. XV 6, 2: *noli me tam strenuum putare, ut ad Non. recurram.* Tum augetur notio celeritatis verbo **volandi**, ut elucet ex Att. II 23, 3: *si dormis, expergiscere; si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola.* Sed interdum volare idem fere in epp. significare quod ire comprobare mihi videor versu ex incerto tragico in epp. ad Att. XV 11, 3: *nunc eo minus* (sc. dubito) *evolare hinc idque quam primum, ubi „nec Pelopidarum facta neque famam audiam";* epp. VIII 30, 1: *hinc ipse evolare cupio et aliquo pervenire, „ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiam";* contra Att. XIV 12, 2: *exire aveo, ubi nec Pelopidarum.* Iam enumero alia exempla, quae huc pertinent: Volare: *ipse volare dicitur* (sc. Caesar), Att. X 9, 1; *ego hinc volo prid. Kal.,* XV 25; semel in oratt. Phil. X 11: *volasse eum, non iter fecisse diceres.* Advolare etiam in oratt. usitatum fuit (cf. Merguet; e locis illic enumeratis quinque in oratt. Philippicis sunt), sed in epp. multo crebrius: Att. I 14, 5: *hic tibi in rostra Cato advolat,* wie der Blitz ist Cato auf der Tribüne; II 13, 2: *advola in Formianum;* 15, 2: *id quidem non dubium est, quin sis advolaturus;* 19, 4: *impendet negotium, ad quod tu scilicet advolabis;* 18, 4: *sed ita te para, ut, si inclamaro, advoles;* 22, 4; 25, 2; IV 4[a]: *quare advola;* II 24, 5: *eo acrius te rogo, ut plane ad nos advoles;* IV 17, 1 (19, 1 Wesenb.): *quin tu huc advolas?* XIII 40, 2: *advolone an maneo;* XIII 51, 2: *iam Romam veniendum est, ne ille ante advolet.* Avolare. Att. IX 10, 3: *experiar, ut hinc avolem.* Evolare. Att. X 10, 3: *„carti"* in Med., fortasse *„celerrime" hinc istis invitissimis evolabo.*

Verba, quibus animi commotio exprimitur.

Quae modo diximus in epistolari sermone non semper rectum modum teneri, sed res saepe nimium augeri, in verba cadunt, quae commotionem animi significant. Nam cum verbum **angendi** in oratt. quater nec nisi passivo genere usurpatum sit (v. Merguet), in epp. persaepe reperitur non modo passivo, velut Att. II 18, 4; IX 1, 1; 6, 4; 10, 9; XII 4, 1; 7, 1; 14, 4, sed etiam activo genere Att. IX 13, 3: *nec me haec mala angebant;* XI 1, 2: *ipsum hoc me non angeret;* XII 45, 2: *haec quae refricant hic me magis angunt*, quae verba Lucilii esse Ellissi auctoritatem secutus Baehrens iudicat frgm. poet. p. 258, 883; XIII 13, 3: *Attica mea, obsecro te, quid agit? quae me valde angit;* 42, 1: *me maxime angit avunculus;* XVI 3, 5: *me angit ratio reliquorum;* ibid.: *nec me ulla res magis angit ex omnibus.* Eadem loquendi consuetudo nobis occurrit ap. Plaut. Epid. 326: *absurde facis, qui angas te animi;* Ter. Phorm. 160: *non cotidiana cura haec angeret animum.* Att. II 18, 4 *nonnullis aliis rebus angor, sed iam prorsus* occallui compara cum Plaut. Asin. 419: *qui latera conteram tua, quae occalluere plagis.*

In oratt. ubique verba **cruciandi** et **excruciandi** ad tormenta corporis referuntur, quod sic se habere cognosces exemplis ap. Merguetum enumeratis, sed in epp. Cicero, ut comici, verbis ita utitur, ut animi tormenta exprimant. Possum permulta exempla ad sententiam meam comprobandam proferre, sed ne longior fiat oratio satis habeo pauca promere: Ter. Eun. 95: *ne crucia te;* Heaut. 81: *se cruciare;* 673: *crucior;* item Plaut. Pseud. 229; Stich. 9; *omnibus exemplis crucior,* Bacch. 1092; *id ego excrucior,* Epid. 192; *sollicitudo, quae te excruciat,* Ter. Heaut. 177; *heu miserum me, excrucior,* Pacuv. v. 264, p. 110 frgm. trag. R. E Cic. epp. huc spectant Att. VIII 15, 2: *officii me deliberatio cruciat cruciavitque adhuc;* Balb. in epp. ad Att. VIII 15 A, 2: *cave putes hoc tempore plus me quemquam cruciari;* idem Att. IX 13 A, 2: *exspectatione crucior.* Att. VI 6, 2: *de Hortensio - excrucior;* X 4, 5: *alter me mirabiliter excruciat;* 18, 3: *non loquor plura, ne te quoque excruciem;* XI 7, 3: *haec me excruciant;* item

10, 1; 15, 3: *Aesopi filius me excruciat.* **Discruciare**, quod Cicero in oratt. bis posuit, in oratione priore Q. Rosc. 31: *quod ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciatur,* et in Phil. XIIII 37, ubi verbum ad dolorem corporis refertur, in epp. ad Att. legitur XIV 6, 1: *discrucior Sextili fundum a verberone Curtilio possideri;* Cael. in epp. VIII 3, 1: *nunc cotidie non esse te, ad quem cursitem, discrucior.* Saepe ap. Plaut. *discrucior miser*, velut Trin. 103; Bacch. 435; Poen. 368; *discrucior animi*, Aul. 105. Etiam apud Ennod.: *super opinionum varietate discrucior* 117, 17 H; *furore succensa discrucior* 506, 8 H. Quodsi quaerimus, quo verbo Cicero in eleganti sermone, ut animi tormenta exprimeret, usus sit, invenimus eum **torquendi** verbo usum esse, cf. Piso 90: *aurum coronarium, quod te diutissime torsit.* Comicorum illud *discrucior miser* transfertur in locutionem *torqueor infelix* Att. IX 12a, 1; 3; *miser torquetur*, Att. IX 13, 8. Balbi illud Att. IX 13 A, 2: *exspectatione crucior* a Cicerone effingitur verbis *exspectatione torqueor*, Att. VIII 14, 1; *angebar-exspectatione,* IX 1, 1. Augetur vis verbi *mirifice* vel *mirus* apposito Att. XV 23: *mirifice torqueor;* VII 21, 3: *mira me ἀπορία torquet.* Alia exempla vide in epp. ad Att. VII 9, 4; IX 10, 2; X 15, 2; XIV 13, 5. Participium „**exanimatus**" in ep. Caeli ad Cic. (Att. X 9 A, 1) plane est desumptum e sermone cotidiano, cf. Paut. Pseud. 7; Bacch. 298; Aul. 208; Epid. 572; Asin. 265; Merc. 220; Ter. Andr. 131; Hec. 364, 825; cum *metu* coniunctum ibid. 251; Phorm. 564. Conferas etiam Att. X 9, 1: *adventus Philotimi exanimavit omnes;* XI 6, 4: *Tulliae meae morbus et imbecillitas corporis me exanimat;* Hor. Sat. I 4, 126: *vicinum funus aegros exanimat;* Epp. II 1, 178: *quem tulit ad scaenam gloria, exanimat lentus spectator.* Postremo affero **percutere**, quod significat magno dolore afficere: Att. III 12, 2: *percussisti me de oratione prolata;* IV 8b, 3: *percussit animum;* cf. Spengel, Ter. Andr. 125, Lorenz, Plaut. Pseud. 455.

Verba ex opificum industria translata non raro in cotidiano sermone inveniri mirum non videbitur, si quis consideraverit figuras et translationes alias esse in vulgari, alias in urbano sermone.

Edolare Ennianum erat; cf. Non. p. 448, 17: *cum Quintipor Clodianus tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum vix edolem, ut ait Ennius.* Att. XIII 47 a: *ea quae in manibus habebam, abieci, quod iusseras, edolavi.* Cf. etiam Plaut. Mil. Gl. 938: *hunc dolum dolamus.*

Elimo: *velim σχόλιον aliquod elimes*, Att. in epp. ad Att. XVI 7, 3. Dubium mihi videtur, nonne lectio „*limatas*" Acad. pr. II 66 alteri „*elimatas*" praeferenda sit, cum hoc vocabulum, quod videam, Cicero nusquam assumpserit. At Quint., Gell., August. singulis locis verbum posuerunt.

Exaro in epp. significat aliquid leviter conscribere Att. XII 1, 1: *hoc litterularum exaravi;* XIII 38, 1: *exaravi nescio quid ad te;* XIV 22, 1: *statim hoc nescio quid exaravi;* XV 1^{b}: *Arpinum proficiscens hanc epistolam exaravi*; XVI 6, 4: *statim novum prooemium exaravi;* epp. IX 26, 1: *ad te harum exemplum in codicillis exaravi,* XII 20: *haec cum essem in senatu, exaravi;* sed in oratt. verbum vim habet arando percipiendi, cf. Merguet.

Excudo *aliquid Ἡρακλειδεῖον*, Att. XV 27, 2, de libro de gloria dictum, quod in manibus habebat. Praeter hunc locum Georges affert Tac. dial. 9; Plin. Epp. I 3, 4.

Expiscor iriculariter dictum pro sciscitari: Ter. Phorm. 382: *expiscare, quasi non nosses;* Att. II 17, 3: *velim e Theophane expiscere;* epp. IX 19, 1: *nescio me ab illo omnia expiscatum;* semel in or. Pis. 20, 69: *nihil expiscatus est.*

Intexo = includere in dialogos (v. Att. XIII 19, 3): Att. XIII 12, 3: *ut Varronem nusquam possem intexere;* 22, 1: *te ἀσμεναίτατα intexui.* Cf. *texere* epp. IX 22, 1, quod idem Plautinum est.

4. Deminutiva.

Woelffl. phil. 34 (1874), p. 137; Koehler, l. l., p. 371, Kuehner, Gramm. I p. 662; Landgraf, l. l., p. 319; Gust. Mueller, de linguae Lat. dem., Lipsiae 1865; Paucker, d. lat. Dem. auf ulus, Mitau 1816; Lorenz, praef. ad Pseud. p. 57.

I. Substantiva.

A. Deminutiva, quae deminuendi vim tuentur:

Actuariola: *quid duro tempore actuariola fore censes?*

Att. X 11, 4; *corbitane Patras an actuariolis ad Leucopetram?* XVI 6, 1; *tribus act., ib.* 3, 6; cf. *actuariis minutis* V 9, 1; *minuta navigia* XVI 1, 3; *parvo navigio,* X 11, 4.

Ambulatiuncula: 1) kleiner Spaziergang, epp. II 12, 2; 2) kleiner Ort zum Auf- und Abgehen, *tecta amb.,* Att. XIII 29, 2.

Animula, ein bischen Leben: (litterae) *mihi quiddam quasi animulae restillarunt* (inst. Wesenb.), Att. IX 7, 1; *in unius mulierculae animula si iactura facta est,* Serv. in epp. IV 5, 4. (Plura v. ap. Georg.)

Arcula, Farbenkästchen, iocatur Cicero Att. II 1, 1: *liber omnes Isocrati discipulorum arculas consumpsit;* plura ap. Georg.

Atriolum opponitur atrio maiori in epp. ad Qu. fr. III 1, 1, 2; *in tectorio atrioli,* Att. I 10, 3.

Classicula, winzige Flotte, *Cassius cum cl. sua venerat,* Att. XVI 2, 4.

Deversoriolum: *Sinuessanum dev. contempsisti, quam quidem villa pusilla iniquo animo fert,* epp. XII 20; *in dev. Sinuessano,* Att. XIV 8, 1.

Diecula kurzer Termin: *commemorat, quid olim mali Caesar fecerit, cum dieculam duxerit,* Att. V 21, 13; (cf. Plaut. Pseud. 482; Ter. Andr. 710; Ap. Met. I 10; VI 16; VII 26).

Filiolus, Gall. filieuil Patenkind, It. figliolo: *filiolo me auctum,* Att. I 2, 1.

Hortulus: *istos h. iucundiores mihi fore putabam,* Att. IX 9, 4; *quasi in hortulos,* p. Clu. 37; *Epicurus h. suos irrigavit,* d. n. I 120; *meos hort.,* Cn. Matius, frgm. poet. p. 283, 16 B.

Igniculus: *i. matutinus,* Att. XII 1, 2; *nonnullos interdum iacit ign. viriles,* XV 26, 2; *quo tolerabilius feramus ignic. desiderii tui,* epp. XV 20, 2; plura v. ap. Georg.

Imaguncula: *inventae sunt quinque im.* (plangunculae Orelli), Att. VI 1, 25; Suet. Aug. 7. Nero 56.

Lintriculus: *vel lintriculo, si navis non erit, eripiam me,* Att. X 10, 5.

Litterulae, Briefchen: *hoc litterularum exaravi,* Att. XII 1, 1; *ne patiamur intermitti litterulas,* XIV 4, 2; *nescio quid ab eo litterularum,* XV 4, 1.

Mercedula 1) geringer Lohn: *mercedula adducti*, de or. I 45, 198; 2) geringe Erträgnisse: *ut constituerem mercedulas praediorum,* Att. XIII 11.

Munusculum, kleine Gabe, velut Brief, Gedicht: *Erotem non sine munusculo exspectare dicis,* Att. XVI 3, 1; *concinnavi tibi munusculum,* Trebon. in epp. XII 16, 3; *totam insulam sicut aliquod m. condonaras,* Verr. III 85.

Navicula: *ad epulas Vestorii navicula,* Att. XIV 20, 5; *parvo navigio* X 11, 4; cf. or. Flacc. 29; Verr. V 98; Quir. 20; Caes. B. G. I 53, 3; B. C. II 3, 2, III 104, 2, B. Afr. 44.

Negotiolum: *tua n.* (negotia Orelli) *mihi curae fuerunt,* Att. V 13, 2; *erit nescio quid negotioli,* Q. fr. III 4, 6; *me de Torquati negotiolo sciturum puto,* Att. XVI 11, 8.

Nummuli ein Paar Groschen: *tu si blanditiis tuis a Sicyoniis nummulorum aliquid expresseris,* Att. I 19, 9; *aliquid n.,* Verr. IV 53; *nihil prorsus aliud curant nisi agros, nisi villulas, nisi numm. suos,* Att. VIII 13, 2.

Oratiuncula: *oratiunculas mittam,* Att. II 1, 3; *prognostica mea cum oratiunculis,* II 1, 11; *ad Caes. eam se oratiunculam misisse,* XIII 19, 2; *cuius de oratiuncula,* XV 3, 2; de eadem re Cic. dicit Att. XV 4, 3 *„oratio Bruti“.* (Plura v. ap. Georg.).

Possessiuncula: *maiori offensioni esse quam delectationi p. meas,* Att. XIII 23, 3.

Praediolum: *in iis meis pr.,* Att. XII 40, 3; *in pr. nostris,* XVI 3, 4; *illa p.* XIII 9, 2.

Pratulum: *in nostro pr.,* Att. XII 6, 2.

Rauduseulum, kleine Summe: *de rauduseulo quod scribis,* Att. IV 8a, 1; *de r. Puteolano, gratum,* VI 8, 5; *de r. Numeriano, multum te amo,* VII 2, 7; *nec mehercule me r. movet,* XIV 14, 5.

Sedecula: *malo in illa tua s. sedere quam in istorum sella,* Att. IV 10, 1.

Villula et parvum et lepidum significat: *circum v. nostras errare,* Att. VIII 9, 3; *nihil aliud curant nisi agros, nisi villulas,* VIII 13, 2; *villula sordida et valde pusilla,* Att. XII 27, 1; *cur ocellos Italiae villulas meas non video,* Att. XVI 6, 2; cf. Hor. Sat. I 5, 45; II 3, 10.

Vindemiola: *v. omnes meas reservo*, ich lege alle meine Paar Groschen zurück, Att. I 10, 4.

Vocula schwache Stimme: *recreandae v. causa*, Att. II 23, 1. Prop. I 16, 17; Titin. v. 171, frgm. com. p. 157 R.

B. Deminutiva, quae iucundum et lepidum significant.

Adulescentuli liebe junge Leute: *adulescentulorum studiis excitati*, Att. II 1, 3; persaepe vocabulum in oratt. legitur; Ter. Eun. III 4, 1 in epp. Att. VII 3, 10.

Atticula: *puellae salutem A. dices*, Att. VI 5, 4.

Deliciolae: *Tulliola, d. nostrae, tuum munusculum flagitat*, Att. I 8, 3.

Filiola liebe Tochter: *cum uxore et filiola et mellito Cicerone*, Att. I 18, 1; *f. tuam tibi iam Romae iucundam esse gaudeo*, V 19, 2; *f. tua gratum mihi fecit*, VI 1, 22; *f. tua te delectari laetor*, VII 2, 4; *istam scientiam iuris tamquam filiolam osculari*, or. Mur. 23.

Lectulus Ruhepolster: Att. X 8, 7; 14, 3. XIV 13, 5; Cornif. IV 50, 63; Catil. IV 17; I 9; Mur. 75; Sulla 52; de Fin. II 30, 97.

Litterulae 1) nette Buchstaben: *admiratus sum σύγχυσιν litterularum*, Att. VI 9; *accepi tuam epistolam vacillantibus litterulis*, epp. XVI 15, 2. 2) ganz nette Litteraturkenntnis: *Chrysippum, quem ego propter litterularum nescio quid libenter vidi*, Att. VII 2, 8; *litterulis Graecis imbutus*, Hor. epp. II 2, 7. 3) liebe Litteratur: *utor eodem perfugio — l. nostris*, epp. V 21, 2.

Memoriola *vacillare*, Att. XII 1, 2 (per iocum dictum).

Munusculum: *Tulliola, deliciolae nostrae, tuum m. flagitat*, Att. I 8, 3; *tuum esse hoc m. putabo*, II 1, 12.

Nervulus: *si tu n. tuos mihi saepe cognitos suavitatemque adhibueris*, Att. XVI 16 C, 3.

Ocellus, Gall. oeil, Augapfel: *ocellos Italiae, villulas meas*, Att. XVI 6, 2; *insularum ocelle Sirmio*, Catull 31, 1; *dulcis pueri ebrios ocellos*, 45, 11; *ocellus aureus*, Plaut. Asin. 691; *meus ocellus*, As. 664; *o ocelle mi*, Trin. 245; *erus meus, ocellus tuos*, Truc. 579.

Ripula: *haec ῥωπογραφία ripulae*, Att. XV 16ᵇ.

T o g u l a: *Pompeius t. illam pictam silentio tuetur suam,* Att. I 18, 6; cf. or. Pis. 55; Titin. v. 25, frgm. com. R. p. 136.

T u l l i o l a: Att. I 3, 3; 5, 8; 8, 3; 10, 6. III 19, 3. IV 1, 4. VI 9, 4. epp. XIV 4, 3; 7, 1. 2. XVI 16, 1. *Tullia:* Att. II 8, 2; IV, 4b; 16, 4.

C. **Deminutiva, quae vile et despectum significant.**

A d u l e s c e n t u l i: *noctes certarum mulierum atque a. nobilium,* Att. I 16, 5.

C o m m o t i u n c u l a: *commotiunculis συμπάσχω,* Att. XII 11, idem quod „horror", Att. XII 6, 4. F e b r i c u l a: *febriculam habere*, Att. VI 9, 1; *epistola, quam incipiente f. scripseras,* VII 8, 2; *de Atticae febricula valde dolui*, XII 1, 2; at in oratt. Cat. I 31, Clu. 175 *febris.* N a u s e o l a: *n. tibi tuam causam otii dedisse,* Att. XIV 8, 2. Cf. Woelffl. Lat. des Afr. Cassius Felix, p. 409.

C o n t i u n c u l a: *una c.,* Att. II 16, 1; Cic. de or. I 46.

F i l i o l a *Curionis* (de C. Scribonio Curione dictum), Att. I 14, 5.

L i b r a r i o l u s: *velim mihi mittas de tuis libr. duos aliquos,* Att. IV 4b; *Servius cum libr. suo,* Att. XV 7; *id quisquam Pompeium ignorasse dicere audebit, quod mediocres homines, quod nullo usu, nullo studio praediti militari, quod librarioli denique se scire profiteantur* (gewöhnliche Abschreiber), p. Balb. 14; *ex libr. Latinis,* de legg. I 7.

L o r e o l a: *coepit loreolam in mustaceo quaerere,* Att. V 20, 4.

M u n u s c u l u m leidige Aufgabe: Cael. in epp. VIII 8, 1; 12, 1.

N u m m u l i Schandgeld: *n. acceptis,* Att. I 16, 6; *corrogatis,* Verr. III 184.

O l u s c u l u m gewöhnl. Gemüse: *olusculis nos soles pascere,* Att. VI 1, 13; Hor. Sat. II 6, 64. Iuv. 11, 79.

P l e b e c u l a Pöbel: *misera ac ieiuna p.,* Att. I 16, 11; *p. urbana,* XVI 8, 2.

R u m u s c u l u s Gerede: *eorum hominum rumusculos,* Att. II 5, 1; Clu. 105; de legg. 3, 35. — S e r m u n c u l u s: *s. omnem restinguere,* Att. XIII 10, 3; *ex urbanis malevolorum sermunculis,*

Deiot. 33. — Vocula: *incurrit haec nostra laurus in voculas malevolorum,* epp. II 16, 2.

Servulus: *dixit alia quaedam de servulis suis,* Att. VIII 10; *servulos et agripetas eiectos a Buthrotiis,* XV 29, 3; Cornif. IV 51, 64; saepius in oratt.

Servula: *Clodium per manus servulae servatum,* Att. I 12, 3; *ei duae puellae sunt meretrices servulae,* Plaut. Poen. 1094.

Vulticulus, finstere Miene: *non te Bruti nostri v. ab ista oratione deterret,* Att. XIV 20, 5.

D. **Deminutiva, quae deminuendi vim prorsus amiserunt.**

a) dem., quae deminutionis forma novam significationem receperunt.

Bacillum, Liktorstab: *lictores cum bacillis,* XI 6, 2; de leg. agr. II 93.

Cerula, Rotstift zum Korrigieren: *miniata c.,* Att. XV 14, 4; *c. tuas miniatulas illas extimescebam,* XVI 11, 1 (Graece *παραπλάσματα*).

Codicillus: *in codicillorum fastis* (Denkbücher), Att. IV 8b, 2, cf. Phil. VIII 10, 28: *sententias vestras in codicillos et omnia verba referebat; omnia scripsi in codicillis* (Billet), Att. XII 7, 1; imperatorum aetate kaiserl. Handschreiben: Suet. Tib. 42; Cal. 18.

Fasciculus, Packet: Att. II 13, 1; V 11, 7; 17, 1; VIII 5, 1; 2; XI 9, 2; 22, 1; XII 53; XIII 8. Hor. Epp. I 13, 13.

Libellus: 1) Verzeichnis: *mandatorum mihi libellum dedit,* Att. VI 1, 3; 2) Brief: *libellum ipsius habeo,* VI 1, 5; *signatus l., quem Anteros attulerat,* XI 1, 1; *libellum composuit,* XVI 16 A, 4; 3) Schrift: *eius libellis paremus,* Att. XIV 14, 2.

Membranula, Bücherschild: *iis imperes, ut sumant membranulam, quos vos Graeci, ut opinor, σιλλύβους appellatis,* Att. IV 4b.

Osculum, Mündchen = Kuß: *utinam continuo ad osculum Atticae possim currere,* Att. XII 1, 1; cf. XVI 11, 8: *Atticae meis verbis suavium des volo*; Plaut. Epid. 571: *advenienti des salutem atque osculum*; 573: *osc. mihi ferre iubes;* Amph. 716, 801. Saepe ap. lyricos.

b) dem., quae vim vocabulorum, a quibus ducta sunt, tenent.

Articulus, Gall. article, It. articolo: *Terentia articulorum dolores habet*, Att. I 5, 8; cf. Brut. 60, 217: *propter dolorem artuum.*

Asellus: *a. auro onustus*, Att. I 16, 12. Apud Horatium nusquam asinus, ubique asellus legitur: Sat. I 1, 90; 9, 20. Epp. I 20, 15, II 1, 199; nam asinus maledicti loco usurpabatur, cf. infra p. 51.

Captiuncula: *captiunculas pertimescere*, Att. XV 7; at Plaut. Asin. 790: *captiones metuis*, or. p. Quinct. 53: *captionis aliquid vereri.*

Furcilla: *furcilla extrudimur*, Att. XVI 2, 4; at Hor. epp. I 10, 24: *naturam expellas furca.*

Paginula: *si vero id est, ut non minus longas iam in codicillorum fastis futurorum consulum paginulas habeant quam factorum* Att. IV 8b, 2.

Versiculus Zeile, Att. V 1, 3; XIII 6, 4; 50, 5; epp. ad Brut. I 14, 1. Inprimis vocabulo Catullus poeta de hendecasyllabis utebatur.

E. **Fulvi(ni)aster**, Att. XII 44, 3; vide Woelffl. Archiv. I p. 390.

II. Adiectiva et adverbia.

A. Deminutiva, quae deminuendi vim tuentur.

Hilarulus, ziemlich heiter: Att. XVI 11, 8; Laevius, frgm. poet. p. 291, 22 B.

Horridulus, ein wenig rauh: Lucil. Sat. frgm. poet. 194, 378 B: *caput h.*; Plaut. Pseud. 67: *papillae h.;* Cic. Att. II 1, 1: *horridula atque incompta visa sunt;* or. 45, 152: *orationes illae h. Catonis.*

Pauculi: *p. dies* V 21, 6; Mat. et Trebat. in epp. ad Att. IX 15, 6; *servos*, Serv. in epp. IV 12, 3; *diebus sane p.*, Ter. Hec. 143; *p. mensibus*, Verr. II 185; *verbis*, Plaut. Epid. 460.

Refractariolus, ziemlich widerstrebend: *r. iudiciale dicendi genus*, Att. II 1, 3.

Meliusculo *Lentulo est,* Att. IV 6, 2; *cum m. tibi esset,* epp. XVI 5, 6.

Minusculus: *m. villa,* Att. XIV 13 5; *epistola,* Q. fr. III 1, 4, 11. Plaut. Poen. 498. Cf. Lorenz ad Pseud. 207.

B. **Dextella** Att. XIV 20, 5: *Quintus filius, ut scribis* (unde verbum Attici mihi videtur esse), *Antonii est d.*, significat: die liebe Hand.

C. **Deminutiva, quae vile significant:**

Barbatulus: *concursabant b. iuvenes,* Att. I 16, 11; at in oratt., in quibus Cicero summa verecundia de maioribus loquitur, utitur *barbatus:* Cat. II 22; Mur. 26; Cael. 33; Sest. 19.

Pulchellus de Clodio, cui cognomen erat Pulcher, cum contemptione dictum: Att. I 16, 10; II 1, 4; 18, 3; 22, 1. (Cum alia vi epp. VII 23, 2; de or. II 65, 262).

D. **Deminutiva, quae deminuendi vim amiserunt.**

Argutulus: *sane arg. libri* ein gar sinnreiches Werk, Att. XIII 18; *famula,* Apul. Met. II 6.

Longulus: *l. sane iter,* Att. XVI 13 A, 2.

Miniatulus: *cerulas tuas m.,* Att. XVI 11, 1 idem quod *miniata cerula* XV 14, 4.

Vetulus, Gall. vieil; *Cornificiam — vetulam sane et multarum nuptiarum,* Att. XIII 29, 1; *mi vetule,* epp. VII 16, 1; *cum isto gladiatore vetulo,* or. p. Quinct. 29; Plaut. Epid. 187. 666. Asin. 340. Cf. Hellmuth, l. l., p. 123.

Misellus: *cui nihil misello relinquo praeter invidiam,* Att. III 23, 5; *illius misellae,* epp. XIV 4, 3; *o miselle passer,* Catull. 3, 16; *Septumius misellus,* 45, 21; *pallium m.,* Plaut. Rud. II 6, 65; *servo tuo m.,* Petron. 65.

Lentulus: *an existumas illum in isto genere lentulum aut restrictum?* Att. X 11, 2; adiectivum *restrictum* idem valet quod deminutivum *lentulum.*

Bellus: Quanto crebrius deminutiva in sermone cotidiano usurpata fuerint, apparet ex deminutivo *bellus,* quod in epp. ad Att. vicies, in oratt. bis modo nobis occurrit, adv. *belle* in epp. ad Att. septies decies, in oratt. bis. Bellus: Att. I 1, 4; II 17, 2; IV 6, 4; 18, 2; V 17, 4; 21, 3; VI 4, 3;

IX 9, 4; X 14, 2; XIII 20, 2; 49, 2; XIV 3, 1; 5, 1, ubi *signa bella* et *signa bona* opponuntur; XIV 16, 4; 19, 2; XV 1, 4; 11, 4; XVI 4, 4; 14, 4; 11, 2. Belle: I 1, 4; IV 18, 2; V 10, 2; 11, 7; 17, 6; VI 1, 18; 1, 22; 1, 25; VII 2, 1; XII 37, 1. 2. XIII 33, 4; 38, 1; XIV 16, 4; 19, 2; XVI 3, 4; 15, 3.

Pusillus: *pusilla* nom. femin., Att. IV 15, 4; *nihil tam p.*, 15, 6; *habuimus in Cumano quasi p. Romam*, V 2, 2; *p. epistola,* VI 1, 23; epp. ad Brut. I 14, 1; *pusillum loci,* Att. XII 23, 3; *villula sordida et valde p.*, XII 27, 1; *p. libelli,* Verr. II 185; *pusilli animi,* Hor. Sat. I 4, 17; *mus p.*, Plaut. Truc. 868.

Subturpicula παλινῳδία Att. IV 5, 1, quo loco praepositio *sub* vim habet deminuendi.

5. Verba composita cum praepositionibus.

Woelffl. phil. l. l., p. 157; Guericke, p. 37; Koehler, p. 381; Landgraf, p. 331; Lorenz, praef. ad Pseud., p. 37; Hellmuth, p. 125; Stinner, p. 13; Stuenkel, de Varroniana verborum formatione, Argent. 1875, p. 74; Thielmann, p. 351.

Tempus tererem, si in re aperta plurimisque probata plura praefarer; itaque statim in medias res, ut aiunt, transeo.

a. Accredo: Att. VI 2, 3: *vix accredens communicavi cum Dionysio*; Plaut. Asin. 627. 851; Hor. epp. I 15, 25; Nep. Dat. III 4; Lucr. III 868; Col. R. R. I 1, 4.

b. Condoleo *non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici,* Att. XV 4, 1. (Wesenbergius Mediceum secutus, sed Orellius „*at ego doleo*“ Lambinum).

c. Demiror: Verbum, quod ap. Cic. ubique cum prima persona legitur, ne in oratt. quidem insolitum fuisse discas e Mergueti indice; plerumque accusativus cum infinitivo sequitur, de leg. agr. II 100; Phil. X 22; Clu. 86; Rab. 7; epp. ad Att. XV 1, 4; epp. VII 18, 4; 27, 2; semel etiam enunciatio interrogativa Phil. II 49: *demiror, cur-dicas*; uno loco neutr. pron. rel. Att. XIV 14, 1: *quod demiror equidem.* Non plena mihi videntur, quae Schmalz in Antib. de hoc verbo disseruit.

Demitigo: *nosmet ipsi cotidie demitigamur,* Att. I 13, 2; semel dictum.

d. Dilaudo: *in illis libris, quos tu dilaudas,* Att. IV 15, 8 (17, 5 Wesenb.); VI 2, 9; 3, 3.

Discrucio vide supra p. 36.

e. Composita cum per. Cf. Stolz, per und Anhang, Woelffl. Arch. II 497.

α) adiectiva et adverbia.

Peraeque, Att. II 8, 1; 19, 2; etiam in oratt. — Peramans, Att. IV 8b, 3; adv. epp. IX 20, 3. — Peramice, Att. XIV 12, 2 (a Georgesio omissum). — Perbelle, Att. IV 4b; epp. XVI 18, 1; cf. plane belle, Att. XII 37, 1. — Perbonus, Att. VI 1, 3, p. Flacc. 29, 71; Verr. IV 38; plane bonus: Att. VII 4, 1; XVI 4, 4; sane b.: I 19, 4; VI 5, 3; VII 7, 1; valde b.: I 19, 11; XV 13, 4. — Perbrevis, Balb. in epp. ad Att. IX 13 A, 1; perbrevi, epp. VI 12, 3; Clu. 1, 2; Q. Rosc. 30; Verr. III 22; V 142; imp. Pomp. 16; Brut. 158; Liv. 28, 35, 11. — Perdifficilis; Att. III 8, 2; IX 9, 1; p. Quinct. 77; Verr. IV 110; Planc. 5; Partit. 84; N. D. I 1; Liv. 44, 8; 40, 21, 4: *perdifficillimus aditus.* — Perdiligens, Qu. fr. III 5, 6; perdiligenter, Att. I 11, 1; Brut. 3, 14. — Perdiu, Att. III 22, 4, de or. I 2, 8; cf. sane diu, Att. II 22, 2; 24, 2. X 4, 8. — Perdives, Att. VI 1, 3; Verr. IV 59. — Pereruditus, Att. IV 15, 2; Licin. Calv. p. 320, 1 fragm. poet. B. — Perexiguus, Att. VIII 12, 1; etiam alias; perexigue, semel dictum, Att. XVI 1, 5. — Perfacile, Att. V 15, 1; XIII 32, 3; in oratt.; Attius v. 9, fragm. trag. p. 137 R.; Plaut. Most. 621. — Perfidelis, Att. II 19, 5; Aur. Vict. Caes. 13, 8. — Pergratus: plerumque locutio *pergratum facere,* Att. II 4, 1, IX 7, 2, X 4, 1, XIV 16, 4; *pergratum est alicui:* Att. II 15, 4; V 2, 1; 11, 6; 20, 10; epp. ad Brut. I 8, 2; cum tmesi: *per mihi gratum est,* Att. I 4, 3; XIV 11, 2; *per mihi gr. erit,* V 10, 4; *per mihi, per, inquam, gratum feceris,* I 20, 7; cf. Spengel ad Ter. Andr. 535; plane gratus: Att. VIII 16, 1; valde gr.: III 7, 1; 20, 2; IV 5, 3; 15, 1; VI 1, 13; XIV 16, 4; vehementer gr.: XIII 47 b, 1. — Pergraviter, Att. I 10, 2; de or. I 53, 227; valde graviter, Att. I 14, 3;

17, 8. — Perhonorificus: Att. I 13, 2; II 18, 1; prov. cons. 19, 45: *mihi ipsi omnino perhonorificum est, discessum meum funus dici reipublicae* (ap. Georg. falso *perh.* cum „*discessum*" coniunctum est); perhonorifice, Att. XIV 12, 2. — Perhumanus, Att. XVI 12; Qu. fr. II 6, 1 (5, 2 Wesenb.); epp. XIII 21, 1; Apul. met. 11, 14. — Perillustris, Att. V 20, 1; Nep. Att. 12, 3. — Perimbecillus, Att. X 18, 1; Varro R. R. III 10, 5; Sulp. Sev. chron. II 17, 3. — Perincommode, Att. I 17, 2. — Periucundus, Att. II 4, 6; IV 4[a]; epp. I 7, 3; cum tmesi: *id mihi pergratum perque iucundum* (erit), Qu. fr. III 1, 4, 12; de or. I 47, 205: *ista sunt pergrata perque iucunda*; cf. sane iuc., Att. II 7, 2; XIV 14, 7; 15, 1; magnopere iuc., Att. I 8, 1; periucunde: Att. XIII 52, 1, or. Cael. 25. — Perlibens, Qu. fr. II 6, 6 (4, 6 Wesenb.); Plaut. Trin. 780. 1041; perlibenter, Att. VIII 14, 2; epp. VII 14, 2; Tim. I; cf. plane l., Att. VI 2, 10; sane l., XVI 6, 1. — Perliberaliter, Att. X 4, 10; XV 15, 4 (ap. Georg. omissum); p. Rosc. Am. 37, 108; cf. valde l., Att. II 18, 3; perliberalis, Ter. Hec. 864, Phorm. 815; at Cicero *valde liberalis*, Att. IV 6, 4; 16, 6 (17, 3 Wesenb.). — Perlongus, Att. V 20, 8: *via p.;* cf. XVI 13[a]: *longulum sane iter*; leg. agr. II 1, 3: *perl. intervallo memoriae temporumque*; Plaut. Trin. 745. — Permagnus: ex oratt. Merguet viginti duo exempla attulit; Att. II 23, 3; VII 6, 2; IX 9, 2. 3; XVI 16 E, 16; 16 F, 17; cum tmesi: *per enim magni aestimo,* Att. X 1, 1; cf. Att. II 3, 3: *sane magnus*; XIII 12, 3: *magnus sane.* — Permodestus: Att. IV 8[b], 3; Cat. II 6, 12; Tac. Ann. I 7. — Permolestus: Att. I 18, 2; Don. ad Ter. Eun. II 3, 35; cf. valde m., Att. X 10, 4; XI 17, 3: *permoleste tuli:* II 8, 1; XV 17, 1; Verr. IV 48, 131; Vatin. 16, 38; *p. fero,* Phil. I 15, 36. — Permultus, in oratt. saepissime; in epp. ad Att. II 18, 1; IV 8[b], 3; V 8, 2; X 4, 8; XIII 38, 1; XIV 17 A, 1. 20, 4; XV 23; cf. sane multum, Att. VII 14, 2. VIII 14, 3. — Pernecessarius 1) sehr notwendig, Att. V 21, 1; Ulp. dig. IV 4, 11, § 4; 2) eng verbunden, Att. XIII 44, 3; epp. IX 13, 1; XIII 40. 69; or. p. Flacc. 6, 14; de or. II 50, 202. — Perodiosus, Att. X 17, 2; XIII 22, 4; cf. sane o.,

Att. V 20, 4. — Perpauci: *perpauca loqui,* Att. X 16, 1; Hor. Sat. I 4, 18; *p. dies,* Att. XIV 16, 1; Verr. act. pr. 31; *perpauci*, Att. VI 3, 3; in oratt. persaepe. — Perpauper: Att. VI 3, 5; Afran. v. 160, fragm. com. p. 184 R. — Perstudiosus: Att. V 20, 1; cf. sane st., Att. XII 44, 2; valde st., XVI 16 A, 3. — Perurbanus 1) sehr gebildet: Brut. 68, 239; de or. I 16, 72; 2) übergebildet, Att. II 15, 3. — Perutilis, Att. IX 17, 2; de sen. 17, 59; de off. III 11, 49; cf. valde u. Att. XIV 13, 4.

β) verba.

Perfruor, Att. III 17, 3; saepe in oratt. — Perplaceo, Att. III 23, 4; Plaut. Merc. 348; Most. 907; cf. sane pl., Att. XII 38, 4; valde pl., I 13, 5; IV 15, 6; VII 1, 5; XIII 44, 1; XIV 20, 4; XVI 2, 6. — Perpurgo ins Reine bringen, Att. XII 21, 1: *de dote, tanto magis perpurga.* — Perseco, Att. XIII 23, 3 *perseca et confice*; (ap. Georg. duo hi loci desiderantur). — Pervolo: *pervelim:* Att. I 1, 3; XI 14, 3; XII 37, 2; XIII 13, 1 (bis); or. Sull. 23; Plaut. Epid. 536; Curc. 102; *pervellem:* Verr. II 72; cum tmesi: *te quam primum per videre velim,* Att. XV 4, 2; cf. plane velim, Att. XI 9, 3: XVI 7, 8; sane velim: IV 9, 1; VI 2, 10; VIII 1, 4; IX 1, 4; 3, 1; 9, 4. XII 8; 52, 1; XIII 20, 1; 31, 2; XV 29, 1; valde velim: II 4, 1.

f. Praeproperus: *pr. prensatio,* Att. I 1, 1; *festinatio,* epp. VII 8, 1. X 26, 2; cf. Liv. 27, 33; 22, 41; Val. Max. VI 3, 6; Sil. XV 757.

g. Composita cum sub.

α) adiectiva et adverbia.

Subabsurdus: *tempus*, Att. XVI 3, 4; cf. *ὑποσόλοικος,* II 10; XIV 21, 3. — Subcontumeliose, semel dictum, Att. II 7, 3. — Subinanis, semel dictum, Att. II 17, 2. — Submolestus, Att. XVI 4, 4; *submoleste fero,* V 21, 1. — Subodiosus, Att. I 5, 4. — Subturpiculus, Att. IV 5, 1 (cf. supra p. 45).

β) verba.

Subaccuso, Att. XIII 46, 3; XVI 7, 1; in orat. Planc. 35, 86 „*quasi*" appositum est. — Subausculto, Att. X 18, 1;

de or. II 36, 153; Plaut. Asin. 586 (Georges falso 568). — Subdiffido, semel dictum Att. XV 20, 2. — Subdoceo, Att. VIII 4, 1; Augustin. conf. VIII 6, 13. — Subdubito: Att. XIV 15, 2; epp. II 13, 2. — Subirascor, Att. IX 7, 7; epp. XI 24, 1; fin. II 4, 12; idem valet subringor, semel dictum Att. IV 5, 2; subiratus, epp. III 9, 1; de or. I 16, 72. — Suppaenitet, Att. VII 14, 1; cf. suppudet epp. IX 1, 2; XV 16; Lucil. p. 258, 880 fragm. poet. B.

6. Blande et male dicta.

Optime ex epistolis cognoscitur, quibus verbis vel locutionibus viri urbani apud Romanos in sermonibus usi fuerint, si aut amore capti aliis blandiebantur, aut odio incensi convicia ingerebant. Atque quoniam Cicero, ut supra docuimus (p. 5), Atticum familiarissimum nihil quod sentiebat celabat, epistolae, quas ad illum dedit, abundant vocibus blandis aut obiurgatoriis. Quod quidem ad illas attinet, iam demonstravimus Ciceronem saepe vocabula deminutiva usurpavisse (cf. supra p. 40), cum de rebus vel hominibus, quos in deliciis habebat, loqueretur. Deinde affero exempla, quibus epitheta optimus, suavissimus, bellissimus, dulcissimus, mellitus, alia nomini apposita sunt idque haud raro ita, ut adiectiva nominibus propriis ipsis adderentur, Att. IV 7, 1: *de Quinto nostro puero optimo;* IV 9, 2: *Ciceronem suavissimum;* epp. XIV 5, 1: *Cicero suavissimus;* epp. VI 18, 5: *Lepta suavissimus;* epp. XIV 5, 2: *mea suavissima et optatissima Terentia;* Att. V 9, 3: *Cicero meus modestissimus et suavissimus puer;* Att. I 15, 1: *Quinto suavissimo fratri;* Att. V 1, 5: *A. Torquatum optimum virum;* Cael. in epp. ad Att. X 9 A, 2: *vir optimus gener tuus;* Att. XII 49, 1: *Caesaris propinqui eius viri optimi et hominis liberalissimi;* Att. VII 1, 1: *a Xenone optimo viro;* epp. XIV 4, 2: *Flaccum virum optimum;* XIV 4, 6: *Terentia fidissima atque optima uxor;* Att. VI 2, 9: *dulcissime Attice;* epp. XIV 7, 3: *Cicero bellissimus;* Att. VI 4, 3: *puellae Caeciliae bellissimae;* Anton. in epp. ad Att. X 8 A, 1: *Tulliam tuam feminam lectissimam;* Att. I 18, 1: *mellitus Cicero;* cf. Catull. 3, 6: *passer mellitus;* Lorenz, adn. a

Pseud. 174. — Accedunt amor, deliciae, mel, vita, anima: Att. II 19, 2: *Pompeius nostri amores;* I 5, 8: *Tulliola deliciae nostrae;* XVI 6, 4: *Piliae et Atticae deliciis atque amoribus meis;* cui hoc loco non in mentem venit cognominis illius Titi Flavi *„amor et deliciae generis humani"?* Cf. *mea delicia,* Plaut. Truc. 921; Apul. frgm. poet. p. 377, 3 B; *meae deliciae,* Titin. frgm. com. v. 94, p. 147 R.; Plaut. Stich. 742. Cael. in epp. VIII 8, 1: *Rufum mel ac delicias tuas;* epp. XIV 2, 3: *obsecro te, mea vita;* ib. 4, 1: *te quam primum, mea vita, cupio videre;* epp. XIV 14, 2: *vos, meae carissimae animae, quam saepissime ad me scribite;* cf. *anime mi:* Ter. Andr. 685. Eun. 95; Plaut. Men. 183; Curc. 162; Asin. 664; Truc. 425; Bacch. 81. Ex Ennodio adnotaverim: *dulce meum,* p. 30, 10; 138, 24 H.; *animae meae maior portio,* 138, 2 H. Quantopere autem in sermone cotidiano iusto magis laudibus celebrare homines soliti sint, duobus exemplis comprobaverim: Plaut. Bacch. 27: *cor meum, spes mea, mel meum, suavitudo, cibus, gaudium;* Poen. 365: *mea voluptas, mea delicia, mea vita, mea amoenitas, meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum savium, meum mel, meum cor, mea colustra, meus molliculus caseus.*

Jam satis dictum est de verbis blandis; restat, ut de maledictis nonnulla addam. Ac primum quidem substantiva quae in *o* exeunt adnoto (cf. supra p. 23): Baro: *apud Patronem et reliquos barones,* Att. V 11, 6; *ille baro te putabat quaesiturum,* epp. IX 26, 3. Nebulo: *n. iste,* Att. II 9, 1; *ex Vedio magno nebulone,* VI 1, 25; *huius nebulonis,* VI 3, 7; *ecquem tu illo certiorem nebulonem,* XV 21, 1; *haerebat nebulo,* Phil. II 74; *ab isto n. eludimur,* Sext. Rosc. 128; cf. Ter. Eun. 269: *nebulonem hunc certum est ludere;* 717; 785: *nebulo magnus est;* Lucil. Sat. p. 189, 340 fragm. poet. B.: *nebulo id genus sane;* ib. p. 199, 407: *nugator cum idem ac nebulo sit.* Suco: *Oppios de Velia sucones dicis,* Att. VII 13^b, 1; Atticus nomen Oppiorum, quod comparavit iocans cum Graeco vocabulo ὀπός, in epistola ad Ciceronem data in Latinum converterat verbo illo suconum usus, quod Ciceroni primo aenigmatis instar videbatur, dum Atticus eum docuisset, quid hoc sibi vellet. Significat autem vocabulum anceps etiam idem,

quod *sanguisuga*, *hirudo*, Att. I 16, 11; nam Oppii illi feneratores erant noti. Verbero: Att. XIV 6, 1: *discrucior fundum a v. Curtilio possideri;* persaepe ap. Plaut. et Ter., velut Amph. 180. 284. 344; frgm. VIIII 1029; Pseud. 348. 1188; Curc. 196; Asin. 416. 485. 624. 669; Merc. 189; Ter. Phorm. 684. 850.

Att. I 16, 6 Cicero Talnam et alios vocat quisquilias, quod vocabulum iam Novius v. 88 fragm. com. R. p. 268 posuit: *abite, deturbate saxo, homonum quisquiliae;* iterum vocabulum nobis occurrit ap. Cic. in or. Cael. 94: *omitto quisquilias seditionis Clodianae.* Etiamnunc viget vocabulum in lingua Italica quisquiglia.

Semel dictum est de Caesare scopae solutae, Att. VII 13[b], 2.

Iam supra p. 43 docuimus paullatim in sermone substantivum asini pro convicio usurpatum esse, cum nomen bestiae forma deminutiva exprimeretur: Att. IV 5, 3: *scio me asinum germanum fuisse;* cf. Plaut. Pseud. 135: *neque homines magis asinos nunquam vidi;* saepe compellatio *asine,* velut Ter. Heaut. 877; Eun. 598; Ad. 935; etiam in or. Pison. 30, 73. Plura vide in Woelffl. Arch. III, p. 388.

Cotidiani sermonis proprium est substantivis, velut scelus, flagitium, monstrum, pestis genetivum apponi; cf. Ter. Eun. 696: *monstrum hominis;* Plaut. Poen. 273: *m. mulieris; scelus viri:* Mil. G. 1434; Men. 488; Curc. 614. Cic. Att. XI 9, 2: *illi ad me statim ardentes dolore venerunt, scelus hominis clamantes,* equidem verto: wobei sie „Schurke von einem Menschen" riefen; itaque verba *scelus hominis*, quae ad Caesarem referuntur, pediculis anserinis includenda sunt; cf. epp. V 8, 2: quaedam pestes hominum.

Etiam adnotaverim adiectiva impurus et nequam, quae ipsa in sermone crebrius in usu erant, velut Lucil. Sat. p. 142, 14; 146, 16 B.; Ter. Ad. 183. 281. 360. Phorm. 83. Plaut. Asin. 472. Bacch. 884. Pseud. 354. Pers. III 3, 4. Att. XII 38, 2: *scripsit de impuro nostro cognato;* XIIII 38, 1: *hoc quidquam pote esse impurius?* Att. VI 1, 25: *nunquam vidi hominem nequiorem;* cf. Plaut. Bacch. 1179: *vidi ego nequam homines, verum te neminem deteriorem;* Stich. 343: *verum e*

nullis nequiorem nullum quam hic est (sc. conveni). Saepius *o hominem nequam:* Att. IV 13, 2; XV 13, 3; XVI 14, 2. *Sed homo nequam, qui tuum commodum non exspectarit,* Att. II 38, 1; cf. Plaut. Epid. 96: *nequam homo es;* Pseud. 1187: *hic nequam est;* Asin. 922: *omnium hominum pol nequissimus.*

De locutione vulgari terrae filius copiose disseruit A. Otto in Woelffl. Arch. III p. 216.

7. Sententiae quaedam proverbiales.

Landgraf, p. 329. Commentationes in Woelffl. Arch. III: P. . ., Zu den lat. Sprichwörtern, p. 59; A. Otto, die Götter und Halbgötter im Sprichworte, p. 207; die hist. und geogr. Sprichwörter, p. 355; zu den Tiersprichw., p. 388.

Cum in libris quos modo enumeravi permulta tractata sint, in iis locis, quibus nihil habeo, quod addam, ad eos legentes reiciam.

Acta ne agamus, Att. IX 6, 7; *actum ne agas,* IX 18, 3; *acta agimus, quod vetamur vetere proverbio,* Lael. 82, 85; Ter. Phorm. 419. Conf. Att. XV 20, 3: *sed acta missa; videamus, quae agenda sint.*

Ad pacem currentem, *ut aiunt,* incitarem, epp. XV 15, 3; *quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem,* Att. XIII 45, 2; *currentem, ut dicitur, incitavi,* Phil. III 8, 19; *currentem incitasse,* Qu. fr. I 1, 16, 45; *saepe tu me currentem hortatus es,* Att. V 9, 1; *me quidem certe multum hortante, sed currentem,* VI 7, 1; *currentem, ut aiunt, incitare,* de or. II 44, 186. Plin. epp. I 8, 1: *calcaria currenti addere;* III 7, 15: *ut currentem instigem;* Ennod. 226, 4 H.: *stimulare currentem;* 441, 5: *stimulos admovisse currentibus;* 445, 8: *currite prosapiae stimulis incitati.* Cf. Plaut. Stich. 578: *memorem mones;* item Capt. 192.

Inter caesa et porrecta, Att. V 18, 1; plura vide ap. Landgr. p. 329.

In caelo esse, Att. II 9, 1; 19, 2; 20, 4; XIV 6, 2. Cf. Woelffl. Arch. III 210. In Woelffl. Arch. IV (1), p. 16, ubi in commentatione Ottonis locutiones, quae ad astra revocantur, enumeratae sunt, desidero Att. II 21, 4: *deciderat ex astris;* 25, 1: *nostras laudes in astra sustulit.*

Hoc deus *aliquis gubernabit,* Att. VI 3, 3; *sed hoc* fortuna *viderit,* Att. VI 4, 1; XIV 11, 1; *sed haec ut* fors *tulerit,* VII 14, 3; *sed haec fors viderit,* XIV 13, 3. Cf. Woelffl. Arch. III, 218.

In proverbium abiit vox hominis, cf. Woelffl. p. 207, ut caducum et fragile exprimeretur, velut Ter. Heaut. 552: *ut sunt humana;* Heaut. 77: *homo sum: humani nil a me alienum puto;* Att. XIII 21, 5: *possum falli, ut homo;* XV 1, 1: *ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus;* XV 20, 3: *humana ferenda;* 26, 3: *ita tamen, ut, quantum homo possit, quam cautissime navigem.*

Non solum ex oratione, *sed etiam* ex vultu *et oculis et fronte, ut aiunt,* Att. XIV 13 B, 1; *haec ipsa fero fronte bellissime,* V 10, 3; *me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda,* XI 24, 5; *nec v. nec or. reprehendar,* XII 40, 3; *non modo oratione, sed tuo vultu familiari tolles,* I 11, 1.

Utemur et opera et consilio *tuo,* Att. VII 3, 7; *illius nobis opera consilioque utendum puto,* Att. XII 36, 2; *tu me, ut facis, opera, consilio, gratia iuva,* Att. III 11, 2; *uti consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum,* Caes. in epp. ad Att. IX 6 A; *ut tuis consiliis atque opibus in omnibus rebus utar,* idem IX 16, 3; *ope consilioque tuo furtum aio factum esse,* formula ap. Cic. d. d. n. III 30, 74. Cf. Plaut. Mil. 137: *nos opera consilioque adhortatur;* Pseud. 17: *iuvabo aut re te aut opera aut consilio bono;* Capt. 429: *istaec dicta tua experiri re et opera et factis volo;* Ter. Heaut. 134: *aut consilio aut re iuvero;* Plaut. Trin. 189: *ut me opera et consilio iuves.*

Parendum esse victoribus, Att. XV 3, 1; cf. Hor. Sat. I 9, 42: *contendere durum est cum victore.*

Quid si hoc melius? *saepe opportune dici videtur,* Att. VII 3, 2; *utamur igitur vulgari consolatione: quid si hoc m.,* epp. XIII 47.

Soli sumus, Att. VI 3, 7; *soli sumus nunc hic,* Ter. Phorm. 633.

Haec metuo, ne sint somnia, Att. VII 23, 1; *crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc est. Somnia,* Phorm. 494; *hic vigilans somniat.* Plaut. Capt. 848.

Nullus teruncius, kein Heller, Att. V 17, 2; 20, 6; 21, 5; *teruncium nec attigit nec tacturus est quisquam*, epp. II 17, 4; *ne t. quidem*, Att. VI 2, 4; Cic. de fin. III 14, 45: *in divitiis Croesi teruncii accessio;* IV 12, 29: *teruncium addere;* Plaut. Capt. 477: *teruncium adicere.* Conferri potest Att. XIII 12, 3: cubitum *nullum procedere;* Att. IV 16, 7: *neque argenti* scripulum *esse ullum in illa insula.* Similia sunt: *neque ullam* litteram *ad me*, Att. XIII 39, 2; *a quo adhuc nulla littera est,* XIV 16, 3. *Enitere, ut* scida *ne qua depereat,* I, 20, 7. *E Cappadocia ne* pilum *quidem,* V 20, 6.

De transverso, Att. XV 4, 5; Cornif. IV 14; Acad. prior. II 121: *e transverso;* tribus locis „*ecce*“ antecedit. Locutio quid sibi velit, explicatur ap. Petr. Sat. 55: *quod non exspectes, ex transverso fit.*

Unus et alter: *quid tantum est in uno aut altero die,* Att. VII 8, 2; *adductus sum tuis unis et a. litteris,* XIV 18, 1; *excepto uno aut summum altero,* epp. V 21, 1; *unus et item alter,* Ter. Andr. 77; Suet. Caes. 20; *si versus paullo concinnior unus et alter,* Hor. epp. II 1, 74; cf. epp. II 1, 46: *demo unum, demo et item unum.*

Sex septem *diebus,* Att. X 8, 6; Ter. Eun. II 3, 40; Lucr. IV 579; Hor. epp. I 1, 58

Cuperem vultum videre tuum, *cum haec leges,* Att. IV 17, 4; *tum equidem istuc os tuom videre nimium vellem,* Ter. Eun. 597.

Saepe eiusmodi proverbia ad animalium naturam pertinent, velut *lupus in fabula,* Att. XIII 33, 4, (cf. Woelffl. Arch. III p. 64, p. 392); *qui mihi pinnas inciderunt,* Att. IV 2, 5, (cf. Woelffl. p. 392, ubi desideravi Plaut. Amph. 326: *qui non alas intervelli*); *pluma aut folio facilius moventur,* Att. VIII 15, 2 (cf. Woelffl. p. 393); *quoniam furcilla extrudimur,* Att. XVI 2, 4; *naturam expellas furca,* Hor. epp. I 10, 24; *Musae furcillis praecipitem eiciunt,* Catull. 105, 2; Graece *δικροῖς ὠϑεῖν*; unde similitudo sumpta esset, docuit Grossmann, Horatiana, Bayreuther Gymnasialpr. 1879, p. 12; *clitellae bovi sunt impositae,* Att. V 13, 3, (v. Woelffl. Arch. p. 60).

Usitatissima erant proverbia, quae ad membra corporis referuntur, velut Att. XIII 24: *quoniam tu suscipis, in alteram aurem;* plura eius sententiae proverbialis exempla contulit Lorenz ad Pseud. v. 122. — Att. II 1, 6: *me quodammodo molli brachio obiurgas;* IV 16, 6 (17, 3 Wesenb.): *consules, qui illud levi brachio egissent;* cf. Quint. II 4, 12: *molli manu lenire;* XI 1, 70: *molli articulo tractare.* — Locutiones, quae ad vocabulum buccae pertinent, v. ap. Landgr., p. 318; equidem addo Hieron. epp. II 9 extr.: *quidquid veniret in buccam.* — *Multa mala eum dixisse suo capiti, ut aiunt,* Att. VIII 5, 1; *quod illorum capiti sit,* Cael. in epp. VIII 1, 3; cf. Ter. Phorm. 491: *metuo lenonem, ne quid suo suat capiti;* Plaut. Truc. 819: *meo illic nunc sunt capiti comitia;* Curc. 314, Amph. 741: *vae capiti tuo.* — *Mihi certum est ab honestissima sententia digitum nusquam,* Att. VII 3, 1; *neque ab argento digitum discedere,* Verr. IV 33; *a recta conscientia traversum unguem non oportet discedere,* Att. XIII 20, 4; *si hercle tu ex istoc loco digitum transversum aut unguem latum excesseris,* Plaut. Aul. 56; *digitum longe a paedagogo pedem ut ecferres aedibus,* Bacch. 423. *Digito se coelum putant attingere,* Att. II 1, 7 (cf. Woelffl. Arch. III 210); *qui genus hoc vitae extremis, ut dicitur, digitis attigissent,* Cael. 28; *cuius quam quisque partem tetigit digito,* dom. 50; *si digito attigero, incendam silvam,* Porcius Licin(i)us, fragm. poet. p. 279 B. — De locutione *plena manu laudare,* Att. II 25, 1 v. Landgr. p. 329. Sumpta autem similitudo videtur esse a sermone agricolarum, qui in serendo semina plena manu spargunt. — *Quintus Antoni est dextella* (sc. manus), Att. XIV 20, 5; cf. Ennod. 339, 9 H.: *pes illius erat, oculus, dextera.* — *Nunquam ab oculis meis afuerunt,* Att. XIII 21, 5; *absit a cogitatione, oculis, auribus,* Rabir. 16; *quae libido ab oculis tuis afuit?* Cat. I 13; *num oculis concessi a tuis?* Plaut. Epid. 681; *alius ab oculis meis illam abducet,* Ter. Phorm. 548. — *Bibulus pedem porta non plus extulit quam domo sua,* Att. VI 8, 5; *pedem porta non extulit,* Att. VII 2, 6; VIII 2, 4; *pedem e villa adhuc egressi non sumus,* XIII 16, 1; *simulac pedem limine extulerat,* Cael. 34; *pedem ut ecferres aedibus,* Plaut. Bacch. 423; *numquam era domo ecferret pedem,*

Ennius v. 212, frgm. trag. p. 45 R.; *ne quoquam pedem ecferat,* Capt. 456; saepe *pedem ferre:* Plaut. Men. 380. 554. 629. Ter. Ad. 227; Andr. 908. — *Pollicem servum a pedibus meis Romam misi*, Att. VIII 5, 1. — *Per me isti pedibus trahantur,* Att. IV 18, 2 (Wesenb.); 16, 10.

Postremo adnoto formulas proverbiales: *Non posse ista* sic abire, Att. XIV 1, 1; *hoc fortasse non poterit sic abire,* de fin. V 3, 7; *mirabar hoc si sic abiret,* Ter. Andr. 175; *non hoc tibi sic abibit,* Catull. 14, 16. — Narro tibi: Att. II 11, 1. XV 16ª; 21, 1. XIII 51, 2. De formulis quorsum evadere, fluere vide Hellmuth, l. l., p. 112 et adn. Woelfflini ad illum locum. Addendum est Att. in epp. ad Att. IX 10, 4.

8. Verba Graeca in Latinum sermonem recepta.

Si quaesiveris, cur in epistolis ad Atticum totiens Graeca vocabula et sententiae nobis occurrant, tres potissimum causas afferre posse videor: ac primum quidem is ad quem Cicero scripsit ut nemo versatus erat in litteris Graecis (cf. Att. I 13, 5), quarum quam peritus Cicero ipse fuerit, inde elucet, quod tot philosophorum dialogos in patrium sermonem ex Graeco tanta sollertia transtulit. Cum igitur in orationibus, ne populares offenderet, qui sua nimis fere admirarentur fastidirentque aliena, caute timideque Graeca verba vitaret, cum in dialogis philosophiae, cuius laude ad illud tempus Graeci florebant, fontes suis quoque ut aperiret, patrio sermone usus doceret, quanta in eo inesset copia atque ubertas: in epistolis quanta in ipso esset litterarum Graecarum scientia prae se ferebat. Itaque non raro locutiones nobis occurrunt aut a Graecorum scriptoribus desumptae aut ab ipso Cicerone Graecis verbis expressae; nonnunquam etiam in sententias Graecas incidimus, quae in proverbia cesserunt, velut *μνημονικὸν ἁμάρτημα,* Att. XIII 44, 3; XIV 5, 1; *πρόβλημα Ἀρχιμήδειον,* Att. XII 4, 2; XIII 28, 3; excudam *Ἡρακλειδεῖον,* Att. XV 27, 2 (plura vide ap. Ottonem in Woelffl. Arch. III p. 355). Quid quod interdum Cicero Graecum et Latinum verbum in unum confudit, velut *Pseudocato,* Att. I 14, 6; *decemscalmus,*

Att. XVI 3, 6: *tribus actuariolis decemscalmis* i. e. navigiis decem scalmis (Graece *σκαλμός*, Gall. escaume) ornatis; quin etiam verbo Latino vocabulo Graeco praecedente ductus exitum Graecum addidit Att. I 16, 13: *quare φιλοσοφητέον et istos consulatus non flocci facteon.* Uno loco etiam Latinum verbum *„interesse"* per similitudinem verbi *διαφέρειν* cum genetivo coniunxit Att. V 19, 3: *τὸ νεμεσᾶν* interest *τοῦ φθονεῖν.* Sed consulto saepe Graeco sermone utebatur, ut servos, quibus epistolas dedit, si quid liberius scripsisset, celaret. Etenim haud raro tabellarii litteras obsignatas solverunt; vide Att. I 13, 1: *idcirco sum tardior, quod non invenio fidelem tabellarium;* XV 4, 4: *hanc epistolam si illius tabellario dedissem, veritus sum, ne solveret.* Quam ob rem cum nonnunquam etiam per notas (*διὰ σημείων*) scripsisset, quidam loci iam Attico obscuri videbantur, cf. Att. XIII 32, 3: *quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti, quia διὰ σημείων scripseram.* Simul litteris Graecis epistolis quasi nugarum atque ineptiarum nota inprimitur, aeque ac si nos in epistolis litterulis Gallicis vel aliis imbutos esse ostentamus. Id cum ab gravitate, qua vir Romanus censebatur, abhorreret adderetque grassatoris speciem, Cicero in epistolis illis, quibus exsul miserias suas deploravit quaeque in tertio ad Atticum libro exstant, nullo Graeco vocabulo ne Latinis quidem litteris scripto usus est, cum in omnes alios libros eiusmodi vocabula inseruisset, quod, quantum video, nemini adhuc mirum erat. Verba Graeca iam Baiterus in onom. Tull. VIII 3 congessit; ibi cum vocabula Graeca in linguam Latinam recepta Latinisque litteris excussa omissa sint, non alienum duco a proposito ea hoc loco conferre. Quodsi magnum numerum perlustrabimus, plurima reperiemus spectare ad artium bonarum disciplinas, quas Graecia capta Romam inductas esse novimus; tum apud Romanos in consuetudinem venire coepit bibliothecas instituere liberisque educandis paedagogos Graecos litterarum peritos praeficere; commercio et publico et privato cum Graecis coniuncti Romani verba, quae apud Graecos in re navali, in pecuniis dandis accipiendisque, in architectura usitata erant, assumpserunt. Exstat opus a Weise conscriptum

praemioque ornatum a societate Jablonoviana, quod inscribitur „die griechischen Wörter im Latein. Leipzig 1882. Iam enumero vocabula, quae in epp. ad Att. leguntur:

Acroasis Vortrag, XV 17, 2. — aenigma, VII 13b, 1; Plaut. Cist. II 3, 60; Cic. de or. III 167. — anagnostes = lector (ἀναγνώστης Orelli), I 12, 4; Vatin in epp. V 9, 2; Nep. Att. XIV 1. — anatocismus Zins auf Zins, V 21, 11; Orelli inscr. 4405. — aphracta (= aperta) sc. navigia V 11, 4. 12, 1 (ἄφρακτα Or.); V 13, 1; VI 8, 4. — architectus XIV 3, 1; saepe in oratt.; Plaut. Mil. 901. 919. It. architetto. — arithmetica (neutr. plur.) XIV 12, 3. — Barbaria VII 11, 3; saepe in oratt. — barbarus VIIII 11, 2, saepe in oratt. — basilica = regia (Caec. 14): II 14, 2. IV 16, 14 (16, 8 Wesenb.), Verr. IV 6, V 152. Mur. 70. — bibliotheca I 7; 10, 4; IV 4b, 1; 5, 3; 10, 1; epp. VII 28, 2. — Charta V 4, 4; Qu. fr. II 15b, 1; or. Cael. 40; Rab. Post. 40; Enn. Ann. 229 V.; Hor. Sat. I 4, 139. — chirographum Handschrift II 20, 5; in oratt. nusquam nisi in Phil. I 16, 18; II 97. 100; 109. VIIII 26. — chirurgia IV 3, 3. — chorus XIV 8, 1; Phil. V 15; Mur. 49; fin. I 8, 26; off. III 33, 116; Tusc. V 5, 13. — cistophorus asiatische Münze II 6, 2; 16, 4; XI 1, 2; de dom. 52. — collybus Agio XII 6, 1; Verr. III 78, 181. — cynicus II 9, 1; Plaut. Pers. 123; Chalcid. Tim. 125. — cynocephalus (simiarum quoddam genus): Plin. N. H. VI 184, VII 31; Att. VI 1, 25. — Diaeta, Gall. diète, IV 3, 3. — dialectica (neutr. plur.) XIV 12, 3. — dialogus 1) = sermo: II 9, 1; XIII 42, 2; 2) = liber de philosophia: IV 16, 2; XIII 14, 2. 19, 3; cf. orat. 44, 151: in iis sermonibus, qui διάλογοι dicuntur. — dicrotum (δίκροτος zweiruderig) sc. navigium: V 11, 4; XVI 4, 4. — digamma Zinsbuch, Fenus, cuius vocabuli prima littera est digamma: IX 9, 4. — dioecesis Distrikt: V 15, 3. 21, 7. VI 2, 4. epp. III 8, 4, quibus omnibus locis genetivus plural. legitur. — diploma Empfehlungsschreiben: X 17, 4; epp. VI 12, 3. Piso 90. — dynastes II 9, 1. Phil. XI 31. — Emporium Handelsplatz V 2, 2. — epigramma I 16, 15; Arch. 25; Verr. IV 57, 127. — epilogus = peroratio: IV 15, 4; de or. II 278. Planc. 83. —

epitome = summarium: XIII, 8; epitoma: XII 5, 3. — etesiae: VI 7, 2; 8, 4; XVI 4, 4; leg. agr. II 44. — Gymnasium: I 8, 2; 10, 3; Verr. II 160; IV 119; V 185; Phil. IX 4. — Haeresis = secta XIV 14, 1; Laber. mim. fragm. com. p. 284 R. — heroica (ἡρωικά Or.): XIV 15, 2; N. D. III 29, 71; Tusc. V 3, 7. — heros: I 17, 9; IV 3, 5; XIV 6, 1; 11, 1; Catull 64, 23. — hypomnema = adnotatio: XV 23 (ὑπόμνημα Or.); epp. XVI 21, 8. — Macrocollum Royalformat: XIII 25, 3; XVI 3, 1; Plin. N. H. XIII 80. — myrothecium = unguenti arcula II 1, 1 (μυροθήκιον Or.). — mysterium, Gall. mystère: IV 17, 1 (18, 1 Or.); 21, 14; VI 1, 26; XV 25; Mur. 25; Caecil. Stat. 223. — Nausea: V 13, 1; XIV 10, 2. — nauticus = navalis, XIII 21, 3, saepius ap. Cic. — Onager VI 1, 25; Varro R. R. II 6, 3. — Paedagogus: XII 33, 2; Lael. 74. Plaut. Bacch. 138. — palaestra: I 10, 3; V 13, 1; Verr. II 36. 45. III 61. V 185; Plaut. Bacch. 66. — parochus Beherberger von Fremden: XIII 2, 2; Hor. Sat. I 5, 46; II 8, 36. — pegma Bücherbrett IV 8ª, 2. — phalera Brustschmuck XV 29, 3. Verr. III 185. IV 29. — phaselus, It. fagiolo, ein leichtes Fahrzeug I 13, 6; phaselus epicopus i. e. remis instructus, XIV 16, 1. — philologia i. e. litterarum studium II 17, 1. — philologus = doctus, XIII 12, 3; 29, 1; Qu. fr. II 10, 3. — philosophia, philosophus ubique. — philosophor II 14, 2. — poema I 19, 10; Pis. 70; fragm. B. IX 7; Plaut. Asin. 174. — pragmaticus sachkundig II 20, 1; XIV 3, 2. — prodromus 1) Vorbote, Sendling I 12, 1; 2) Nordostwind XVI 6, 1; saepius ap. Plin. — prognostica (inscriptio libri Aratei): II 1, 11; XV 16ᵇ; de div. I 8, 13. — prooemium IV 16, 2; XIII 32, 3; XVI 6, 4; Clu. 58. Verr. I 111. de or. II 325. — pylae = furculae Tauri V 20, 2. — Scida = scheda, Germ. Zettel, Gall. cédule: I 20, 7; epp. XV 16, 1. — sittybus (v. l. sillybus) = membranula IV 5, 3; 8ª, 2. — soloecus (σόλοικος Orelli) I 19, 10. — strategema V 2, 2; Val. Max. 7, 4. Frontini liber inscribitur strategemata. — syngrapha = Schuldschein V 21, 10. 11. 12. VI 1, 15; 2, 7. epp. VII 17, 1; Plaut. masculino genere utebatur; cf. Non. p. 225, 11; in oratt. saepius. — Te-

trarches II 9, 1; etiam in oratt. — theca Büchse, Gall. taie, IV 7, 2; Verr. IV 52; Varro R. R. I 48, 1. — thesaurus XV 27, 2; Phil. XIII 12; saepe apud alios. — tocullio ductum a τόκος, Wucherer II 1, 12. — typus I 10, 3; Plin.; Lamprid. cf. Georges. — tyrannis VII 5, 4; XIV 9, 2. 14, 2; etiam alias. — tyrannoctonus XIV 6, 2. 15, 1. 21, 3. XVI 15, 3. — tyrannus: VII 20, 2; VIII 2, 4; X 1, 3. 4, 2. 8, 6. 12[b], 1. XIV 5, 2; 9, 2; 14, 2. 4; 17, 6; XV 3, 2. 20, 2. XVI 14, 1; persaepe etiam alias. — tyrotarichum Gericht aus Käse und Fischen: IV 8[a], 1; XIV 16, 1; epp. IX 16, 7. 9. — Xystus, It. sesto, Säulengang: Att. I 8, 2; acad. pr. II 3, 9.

Sed haec hactenus; nolui singula verba per universas Romanorum litteras persequi; nam unius hominis vires non sufficiunt. Tamen videor mihi aliquid his scidis contulisse ad cognitionem eius sermonis, quo Cicero in epistolis usus est; quod quantum mihi contigerit, existimatores diiudicabunt. Alio tempore de syntaxi epistolarum loquar.